







IVRIS CANONICI INSTITVTIONES

QVAS

SVIS IN ACADEMIA PISANA

AVDITORIBUS

TRADIT

D. ORONTIVS STABILI

ALETINVS

ORDINIS SANCTI BENEDICTI

MONACHVS

CONGREGATIONIS MONTIS CASINI.



FLORENTIAE MDCCLII.

Apud PETRVM CAIETANVM VIVIANVM ad Insigne Iani.

Praesidum adprobatione.

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMOQVE VIRO

D. EMMANVELI
COMITI
DE RICHECOVRTE.



I est, VIR EXCELLENTISSIME, *quod nemo sanus dubitaverit unquam, ut Regnorum felicitas non tam legum Civilium auctoritati, quam exactissimo officiorum, quae Re-*

ligionis sunt, cultui referri debeat accepta; fieri haud equidem potest, ut qui illarum custodiae invigilat, negligat ista, quae suapte virtute hominem Superis aequant, Patriae Civem optimum faciunt, & Viris Principibus reddunt obsequiosum. Haec profecto rerum cognatio me de Iure Sacro scribentem in spem adduxit maximam fore, ut exiguum hocce, primum laborum meorum, quos MAGNI CAESARIS *Numini, Maiestatique obsequens perfungor, specimen,* TIBI, VIR AMPLISSIME, *nuncupatum, ceu hominis summis benevolentiae officiis devinctissimi pignus peramanter excipias. Videretur fortasse cuipiam opportunissimus*

heic.

heic locus, quemadmodum recepta iamdiu apud mortales consuetudo fert, perillustres natales Tuos, Tuorumque Gentilium gesta, & exempla, quibus instruebaris, Togâ non minus, quam bello praeclarissima, necnon peculiares animi Tui dotes, & ornamenta, atque egregia, quae in dies per TE *patrantur facinora percensendi. Verumenimvero, ubi de Viris habendus est sermo, qui rerum praesunt administrationi, & Optimi Principis foventur gratia, putaverim satius omnia prorsus praeterire silentio, quam eloquio celebrare. Contingere quippe facillime potest, ut si quae vel probiora sunt, & aequissima in medium proderem, sincerae fidei*

tur-

turpissimum adsentationis inuratur crimen, & grati, castique cordis testimonium pro immoderato mei, mearumque rerum studio traducatur. Quinimo novi etiam, & quidem optime novi TE VIRVM EXCELLENTISSIMVM *eâ esse naturâ egregie comparatum, ut gaudeas quammaxime hisce me rationibus detineri, ne laudes efferam tuas. Quamobrem haudquaquam dubito, quin modestia Tua veluti novum observantiae meae documentum & hoc ipsum adspiciat reticuisse penitus quidquid de Tuis immortalibus in me, & in rempublicam meritis dicere possem. Dignas interim* TIBI *referre grates, o utinam quemadmodum lubet, liceret mihi,*

quod,

quod, ut in votis habui, comiter ſinas, hunc qualemcumque Inſtitutionum Canonicarum libellum praeclariſſimo Tuo condecorari Nomine, atque ab Eo integrum, quod ex tenuitate mea ipſi conciliari minime poſſe probe intelligo, nanciſci decus. Hinc aliud ſane non exiguum proveniet emolumentum, ut nimirum noſtrae Imperatoriae Academiae Iuvenes Illius ſplendore magis, ac magis inflammati totis ſe dedant viribus Iuri addiſcendo Pontificio. Cuius praeſidio Chriſtiana Reſpublica regitur, virtus colitur, propulſantur vitia, ſuiſque finibus continentur omnia, unde Civilis Societas incolumis, & ſalva conſiſtit. Gra-

tia-

tiarum igitur loco Deum deprecor Optimum, Maximumque, ut TE *bono Reipublicae natum diu ſoſpitem ſervet, mihique vires addat, ut maiora deinceps obſervantiae erga* TE *meae innumeris devinctae beneficiis proferre poſſim monumenta. Vale.*



AD

INDEX

TITVLORVM.



*† IN-

INSTITVTIONVM

LIBER I.

De Iure Personarum.

TIT.

INSTITVTIONVM

LIBER II.

Tit.

Tit.

INSTITVTIONVM

LIBER III.

§. I.

INSTITVTIONVM

LIBER IV.

TIT.





AD TYRONES

PRAEMONITA.



I. COnsueverunt nonnulli Institutionum Canonicarum tractatores praefationis loco de celebrioribus Veterum Canonum Collectionibus hic habere sermonem. Verumenimvero cum id nequaquam ferat temporis, in quo versamur angustia, & animo iam insederit mihi de totius iuris Canonici origine, progressu, & usu quamprimùm accuratissimam, quantum licuerit, in lucem prodere históriam; Satius propterea, consultiusque fore duxi, si in huius nostri Operis limine de recepta hodie iuris Ecclesiastici compilatione nonnulla dicerem, & quae ad rem praesentem vestramque utilitatem magis facere videntur paulo diligentius exponerem.

II. Hodierni igitur iuris Pontificii compilatio duabus potissimum absolvitur partibus; altera, quae Gratiani Decretum vulgo appellari consuevit; altera, quae Summorum Pontificum Decretalium nomine insignitur. De utrisque hic differentes earum Auctores, ordinem, materiem, necnon textus auctorita-

tem, ac receptam apud Iure-Consultos allegandi methodum vobis indigitare curabimus.

III. Ad primam porro quod attinet, nulli unquam dubium esse potest, quin eius Auctor haberi debeat Gratianus patria Clusinus, in Tusciae nimirum Civitate Clusio genitus, & S. Felicis Bononiensis Ordinis Divi Benedicti Monachus. Circa huiusmodi Opus, illud, antequam progrediamnr ulterius, animadvertatis obiter velim, quod nonnisi ab aliena recentiori manu inscriptum reperiatur *Decretum Gratiani*, quemadmodum praenotarunt etiam nonnulli Viri docti; Cum revera in omnibus fere veteribus eiusdem Codicibus, haec alia nobis occurrat inscriptio: *Concordia discordantium Canonum*; Quae optimè quidem congruit fini, quem sibi Gratianus proposuerat, Concordiam scilicet instituere inter Ecclesiastica Decreta, & Canones, qui a se invicem diffidere videbantur; qua de re legite Antonium Augustinum *De Emendat. Grat. Dial. I.* Hinc Antonius Demochares, & Antonius Contius, qui edendo, emendandoque Gratiano incumbuerunt eam vocem sustulere. Et quia non Decreti unius explanatio, sed multorum collectio Decretorum est huiusmodi Gratiani Opus, aliter proinde inscribendum, *Decretorum* nempe *Collectanea*, censuerunt.

IV. Hanc suam Collectionem adornasse Gratianum sub Eugenii III. Pontificatu circa an. 1151. plerique omnes scribunt, quodque ait Trithemius *de Viris Illustribus Ordinis Divi Benedicti Lib. II.* Gratianum scilicet scripsisse anno 1127. ita conciliat Bellarminus *de Script. Ecclesiast.* ut anno 1127. opus illud adgressus sit Gratianus, anno tamen 1151. perfecerit. Gratiani Collectio complectitur Conciliorum, & Pontificum Decreta, Patrum, aliorumque Auctorum Ecclesiasticorum sententias, Regum, & Impe-

ra-

ratorum sanctiones quamplures, quae omnia exemplo Reginonis, Burchardi, & Ivonis collegit, & per varios titulos pro materiae diversitate distribuit.

V. Sunt in eadem Collectione nonnulla, quae non simpliciter sub nomine *Canonis* exprimuntur, sed addita hac voce *Palea*. Quid vero inscriptio illa significet diu quaesitum, sed adhuc incertum. Sunt qui censeant hanc vocem additam ad significandum Canonem sic notatum levioris, aut nullius esse momenti; Verum si conferantur ea inscriptione notati cum iis, qui eadem carent, compertum erit multos illorum auctoritate, & utilitate istis praestare. Quamobrem verisimilius putant alii eiusmodi Canones esse quasdam additiones recentius ad primam Gratiani collectionem factas, quae primum margini fuerint adscriptae, quaeque postea in textum irrepserint interdum sine ullo additamento, interdum addita voce illa *Palea*, quod forte, ut quidam credunt, Auctor additionis Palea appellaretur. Huic opinioni favere videtur quod observarunt Gratiani Correctores, in antiquis scilicet huius Operis exemplaribus nonnullis paucas, aut nullas esse paleas; in aliquibus capita illa ad marginem esse apposita sine ulla nota, & pauciora quam in impressis; & in quodam alio antiquo Codice paleas omnes recentiori scriptura toti volumini esse praepositas; unde & ipsi colligunt paleas istas non aliud esse, quam additiones Gratiani decreto ab aliquibus factas.

VI. Totum suum Opus tres in partes divisit Gratianus. Prima *distinctiones unam supra centum* complectitur, quae sunt totidem veluti Capita, sive sectiones, quibus diversas proponit materias. Agit in hac prima parte de Origine, Auctoritate, & variis speciebus iuris a prima ad xx. distinctionem; in re-

liquis vero de Clericis, & diverſis eorum ſpeciebus, dignitatibus, promotionibus, eorumque officiis.

VII. Pars ſecunda *ſex & triginta continet cauſas*; quarum ſingulae in quaeſtiones dividuntur, & quaeſtio quaelibet in capita. Porro *Cauſae* ſunt quaſi totidem hypotheſes, ſive Caſuum poſitiones, quarum occaſione varias quaeſtiones format, & proponit Gratianus, quas frequenter in utramque partem adlegatis Canonibus diſcutit, ſuam deinde adferens ſententiam. *Quaeſtio III. Cauſae* XXXIII. Tractatum exhibet *de Poenitentia* in ſeptem diſtinctiones per capita diviſum. Agitur in hac ſecunda Parte *de Iudiciis Eccleſiaſticis* tam Civilibus, quam Criminalibus, deque iis, ſuper quae cadere poſſunt tum in foro exteriori, tum interiori; & propterea agit ibi Gratianus praeſertim *de Matrimonio*, & Poenitentia, quae pleriſque ex praedictis iudiciis materiam ſuppeditant.

VIII. Tertia demum pars Tractatum exhibet *de Conſecratione*; in quo de Conſecratione Eccleſiarum, Miſſarum celebratione, De Sacramento Euchariſtiae, de Feſtivitatibus per anni circulum celebrandis, de Baptiſmi Sacramento, de Confirmatione, & ieiunio quinque diſtinctionibus agitur.

IX. Multa quidem errata ſunt in Gratiani Collectione, quorum genera breviter recenſet Antonius Auguſtinus loco ſupra laudato monens ſaepe erraſſe „ Gratianum in *nominibus hominum*, *Urbium*, *Provin-* „ *ciarum*, *Conciliorum*, *& aliarum rerum*. Saepe „ falſas apud eundem eſſe *inſcriptiones*, & quae „ *Conciliorum* ſunt *Pontificibus Maximis*, quae *unius* „ *Epiſcopi inferioris Romano Pontifici*, aut *Con-* „ *cilio Generali*, vel *Provinciali* attribui; Cuius ge- „ neris ſunt illa, quae ex Concilio Martini Papae, „ & Hadriani ſumta eſſe feruntur, quae vel *Mar-*

ti-

„ *tino Bracharensi* , & graecis Conciliis, vel *Engil-*
„ *ramo Episcopo*, aut *Hadriano ad Engilramum* ad-
„ scribi debuissent . Multa etiam observat Grego-
„ rio, Ambrosio, Augustino, vel Hieronymo ad-
„ tribui , quae aut nusquam extant , aut aliena
„ sunt; Illa quoque, quae veras habent inscriptio-
„ nes non recte referri , saepe etiam contrarias sen-
„ tentias adduci, saepe valde praecisas videre est.
„ Quae denique ex Graecis fontibus manant ex
„ variis interpretationibus adferri quasi sint aliorum
„ Scriptorum; ac saepe aliud graece suis in fonti-
„ bus sonare, quam latine apud Gratianum. „ Haec
ille.

X. Horum erratorum praecipuus, atque exundantior fons est, quod Gratianus ex seculi sui more non ipsa Concilia, aut Regesta Pontificum, neque ipsa Sanctorum Patrum scripta in componenda sua Collectione consuluerit; sed quae in variis Canonum, aut Scriptorum Compilationibus reperit sine discrimine in suam Collectionem transtulerit, atque ita quidquid ab illis quoquo modo erratum fuerat in suum Codicem invexit. Plurium quoque erratorum origo esse potuit Amanuensium aut imperitia, aut incuria, aut etiam aliquando audacia, quibus contigerit plura mutari, mutilari, atque corrumpi; unde orta tanta Codicum Gratianaei Decreti varietas.

XI. Vndecunque tamen tanta eorum copia promanaverit, nemo non intelligit quam necessarium fuerit, ut iis corrigendis manus admoveretur. Hac de causa seculo XVI. Viri doctissimi Antonius Contius, & Antonius Demochares cuncta apud Gratianum, cui emendando plurimum adlaborabant, in ordinem reducere tentarunt. Verum maioris diligentiae, ac laboris erat opus, quam ut perfici a duo-

duobus posset. Romani itaque Pontifices Pius IV. & Pius V. provinciam illam demandarunt doctis aliquot, selectisque Viris, quorum Catalogum exhibet Antonius Augustinus ad calcem prioris libri suorum Dialogorum, quorum opera, & studio factum est, ut maximam partem Gratianaeae Collectionis ordinatam habeamus, & capita quamplurima nominis alieni iam facta, suis Auctoribus fuerint restituta. Legenda ipsorum Correctorum Praefatio ad Gratianum, ex qua apparebit, quid in eo corrigendo ipsi praestiterint, quamque rationem in eiusdem emendatione servaverint.

XII. Quacumque vero diligentia Gratianaei decreti emendationi incubuerint Romani Correctores, nequaquam tamen factum est, quin aliqua adhuc in eo supersint errata, & apocrypha, quorum illa Correctorum diligentiam effugerunt, haec pro genuinis sunt habita. Erratorum, quae apud Gratianum etiam post Romanam emendationem occurrunt, possunt nonnulla videri in notis subiectis *Dialogo XVIII. lib. II. Ant. August. de Emendat. Gratian.* In apocryphorum certe numero habenda sunt fragmenta Epistolarum, quas veteribus Romanis Pontificibus ante Syricium suppositas fuisse certum modo est, quae tamen, cum pro genuinis monumentis habuerint, intacta omiserunt Romani Correctores.

XIII. Obtulisse Gratianum Collectionem suam Eugenio III. quo sedente vivebat Gratianus; & Eugenium, cui admodum placuerat, pontificia auctoritate illam probasse adserit Trithemius *de Viris Illustr.* & post ipsum alii, nullo tamen coaevi Scriptoris testimonio; Quapropter id inficiantur Scriptores ceteri fere omnes, qui de huius Collectionis auctoritate egerunt. Legendus inter alios hac de re saepe laudatus Antonius Augustinus *in Praefat. ad*

Ca-

Canones Poenitent. ubi observat multum eos decipi, qui Gratiani Collectionem eandem cum Gregoriana Decretalium, auctoritatem habere existimant, cum tamen valde inter utramque intersit, eo quod Gregorius IX. Pontificia usus auctoritate contentis in ea Collectione vim legis conciliare potuerit, non ita Gratianus, qui simplicem Monachi personam gerebat; cui observationi haec subdit: *Itaque siquae sunt ab eo relata ex Pontificiis Epistolis, aut ex Conciliis Generalibus sumta, ea ex suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent; at quae ex Provincialibus Conciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum Sanctorum Virorum libris, aut epistolis accepta sunt ea generalem auctoritatem non habent.*

XIV. Quamvis autem nulla publica auctoritate adprobata fuerit Gratiani Collectio, id tamen non obstitit, quominus in Iurisprudentiae Canonicae Palestris summopere fuerit commendata ante Decretalium compilationem, vimque habuerit in Ecclesiasticis iudiciis, & maximo in pretio tum ab iuris utriusque peritis, tum a Theologis haberetur, habeaturque etiam modo post Decretalium Collectiones.

XV. Quatuor vero modis citari consuevit Gratiani Collectio; Prima sane eius pars, quia in Distinctiones, & Canones dividitur citatur hoc modo: *Dist. 5. can. Si lapsis;* itaut haec verba *Si lapsis* sint principium Canonis, seu Capitis, quod in ea distinctione continetur. Secunda vero pars, quia de Causis inscribitur, & unaquaeque causa quaestiones & Canones complectitur, citatur hoc alio modo: *XII. q. 2. Can. Placuit*, idest *Causa* XII. *quaest.* II. *Canone* qui incipit *Placuit*. Prout ad Tractatum spectat de Poenitentia, qui septem comprehendit distinctiones in causa XXXIII. huiusmodi est citandi praxis

xis *De Poenit. Dist. I. Can. Multiplex*. Tertia denique pars ubi de Consecratione agitur, & quemadmodum prima distinctiones continet, ad vitandas aequivocationes non simpliciter, sed indicando etiam tractatum citatur sic: *De Consecr. Dist. I. Can. Missarum*. Vt vero facilius inveniantur Canones citati addi potest nota numeralis indicans quotus sit Canon, ut ex. gr. *Dist. IV. Can. Erit autem* 2. Haec quantum pertinet ad Gratiani Decretum. Nunc de variis Decretalium Collectionibus, quae post Gratiani aetatem prodierunt, unde altera nostri hodierni iuris pars exsurgit.

XVI. Quemadmodum porro Gratiani Collectioni ideam, & normam praebuere praecedentes Reginonis, Burchardi, & Ivonis; ita Gregorianae nostrae Compilationi methodum, & monumentorum congeriem magna ex parte suppeditarunt quae prodiere ante ipsam Decretalium Collectiones. Post illam quippe quam seculo VIII. ex falsis mercibus compactam vendidit Isidorus Mercator, seu Peccator, ut alii legunt; Omnium primus seculo XII. ad finem vergente Bernardus Papiensis Ecclesiae Praepositus, & Faventinus demum Antistes novam ex Romanorum Pontificum Decretalibus epistolis adornavit collectionem; quam aliae quatuor postea secutae sunt; ac earum tertia, & quarta iussu Innocentii III. prodiere; quinta vero Honorii III. illius Successoris mandato etiam confecta fuit. De hisce alibi Deo dante agemus ex instituto; interim illud vobis notasse sufficiat, quod earum quatuor priores simul collectas publica luce donavit, suisque animadversionibus illustravit Antonius Augustinus; quintam demum edidit Innocentius Cironius Academiae Tolosanae Cancellarius, Glossisque ditavit doctissimis.

XVII. Has omnes Decretalium Collectiones ea tan-

tandem excepit, quae in Corpore iuris exhibetur, quamque iussu, & auctoritate Gregorii Papae IX. Sanctus Raymundus de Pennaforti Ordinis Praedicatorum ipsius Cappellanus, & Poenitentiarius anno 1230. adornavit in quinque libros sub variis titulis, qui rursus in Capita secantur, divisam; Secutus est enim Raymundus eam methodum, quam in antiquis Collectionibus servatam deprehendit. De cuius Collectionis ordine, & fontibus nonnulla nobis dicenda proposuimus.

XVIII. Cum itaque Decretalium Collectores veteres, ut a viris doctis observatum est, Iustinianaei Codicis artem, & dispositionem secuti fuerint, hinc Gregorianus etiam Codex quoad materiae dispositionem illum imitatur; statim enim, non secus ac Iustiniani Codex a titulo *De Summa Trinitate* initium sumit. Post hunc partes, & species iuris Canonici scripti, & non scripti tribus titulis explicantur, nempe *de Constitutionibus*, *de rescriptis*, *& de Consuetudine*. A quinto vero titulo usque ad eum qui est *de pactis* agitur de Personis Ecclesiasticis, eorum institutione, qualitate, Ordinatione, Electione, & Dignitate. A trigesimoquinto Titulo *de Pactis* ad finem usque lib. II. tractatur plenissime de Iudiciis Civilibus instituendis, instruendis, & perficiendis.

XIX. In III. & IV. Libro agitur de Rebus Ecclesiasticis tam spiritualibus, qualia sunt Sacramenta; quam corporalibus, ut bona Ecclesiarum, de eorum nempe acquisitione, Contractibus, Testamentis &c. Item de Ministris, de Praebendis, aliisque dignitatibus, iurepatronatus, & reliquis. Postremo in V. Libro agitur de delictis Ecclesiasticis, de accusatione, iudiciorum Criminalium instructione, persecutione, & forma. Demum de Poenis, & Censu-

ris

ris Ecclesiasticis. Haec breviter quantum pertinet ad nostrae Collectionis Gregorianae Ordinem, & dispositionem.

XX. Quod vero spectat ad fontes, ex quibus derivata est eos manifeste indicat Gregorius ipse IX. in Epistola suae Collectionis confirmatoria a vobis legenda. Primo itaque, ut ex laudata epistola patet, confecta est Gregoriana Collectio ex diversis Pontificum Epistolis Decretalibus, quae in diversa volumina iam tum erant dispersae, hoc est, quae prioribus quinque Collectionibus, quarum mentionem fecimus, continebantur, & quibus magna ex parte sextam hanc Collectionem conflatam esse manifestum est. At vero cum in veteribus illis Collectionibus non tantum Pontificum Constitutiones, & Decretales Epistolae continerentur, sed nonnulla etiam ex Sacra Scriptura, antiquis Conciliis, & Sanctis Patribus desumta, hinc etiam in Gregoriana Collectione plura sub eorum nominibus reperiuntur.

XXI. Huic quoque Collectioni subservierunt, ut in eadem Praefatione dicitur, Epistolae Decretales, & Constitutiones Pontificum Praedecessorum Gregorii, quae extra ipsas veteres Decretalium Collectiones adhuc vagabantur. Tertio denique additae sunt eidem Collectioni Decretales, & Constitutiones variae ipsius Gregorii IX. quarum maximam partem ultro, & quamvis a nemine consultus, edidit, ut quid certis in casibus iuris esset, stabiliret; unde factum est, ut plerumque in eius Constitutionibus nemo inscribatur, ad quem dirigantur.

XXII. Ex his, quae dicta sunt de fontibus Gregorianae compilationis colligendum est, utilissimum, imo aliquando prorsus necessarium esse recursum ad veteres Decretalium Collectiones, ut eorum, quae in Gregoriana leguntur, germanum sensum adsequi

pos-

possimus. Cum enim Raymundus plura, quae superflua censuit, brevitati studens resecuerit, unam, & eandem Decretalem saepe in plures partes diviserit; aliquando etiam aliquid de proprio addiderit, ut Decretalem illam suo tempori accommodaret, hinc facile contingere potuit, ut verus Decretalis sensus non parum fuerit obscuratus, quae obscuritas non removetur melius, quam si ad veteres Collectiones fiat recursus. Praeterea ab his etiam optimum erit ad originarios fontes ascendere, & integras Pontificum Decretales lustrari, ut quid sibi velint absque erroris periculo intelligamus.

XXIII. Quinque Libris Decretalium Sextus additus est a Bonifacio VIII. anno 1294. Hic Summorum Pontificum a Gregorio IX. ad ipsum Bonifacium Decretales Constitutiones complectitur, & aliquas etiam Gregorii IX. quas ille suae Collectioni non inseruerat, & unam Clementis III. quam tamen aliqui Clementi IV. adscribendam censent eo quod Bonifacius adserat se edere Constitutiones post Gregorii Collectionem emanatas. Item Canones duorum Conciliorum Generalium Lugdunensium anni 1245. sub Innocentio IV. & anni 1274. sub Gregorio X. Sextus idem Decretalium in quinque libros dividitur, quorum singuli eosdem titulos habent, quos Gregorii IX. Compilatio.

XXIV. His additae sunt Clementinae, Clementis V. scilicet, qui sub initium seculi XIV. electus est Pontifex, Constitutiones cum Canonibus Concilii Generalis Viennensis sub eodem Pontifice celebrati, unde haec Collectio Clementinarum nomen sortita est. Ioannes XXII. Collectionem hanc publicavit, confirmavitque; cuius deinde Pontificis Decretales Epistolae sive ab ipso Pontifice, sive ab incerto Auctore collectae sunt, & sub nomine Extravagantium Ioannis XXII. laudari solent. XXV.

XXV. Nonnulli tandem privata industria ejusdem Pontificis Decretales, quae in priori eius Collectione non extabant, & aliquas Successorum collegerunt, quae ut ab illis distinguerentur *Extravagantes communes* appellatae sunt. Cum vero inter huius Collectionis Decretales aliquae etiam reperiantur sub nomine Sixti IV. qui in Pontificatu sedit ab anno 1471. usque ad annum 1484. necesse est, ut nonnisi circa ea tempora prodierit haec Collectio.

XXVI. Ex his omnibus Decretalium Collectionibus, quemadmodum supra innuimus, constat altera hodierni iuris Canonici pars, & quidem excellentior; Cum eae Collectiones (si duae *Extravagantium* praedictarum excipiantur, quae tamen usu obtinuerunt) Romanorum Pontificum auctoritate, penes quos legislativa est in universam Ecclesiam potestas, fuerint publicatae, ut earum usus esset tum in iudiciis, tum in Scholis, quemadmodum testantur eorumdem Pontificum epistolae iis Collectionibus praefixae.

XXVII. Ad textus eiusdem citandi modum quod demum attinet, Libri Decretalium Gregorii IX. citantur per capita sub suis titulis tacito libri numero sic: *Cap. Nisi essent de Praebendis*, hoc est Capite, seu Capitulo, quod incipit per haec verba *Nisi essent*, & est sub titulo de Praebendis; quoties autem nihil additur propter excellentiam per libros iuris Canonici quinque Decretalium designantur. Antiquiores tamen Canonistae apponebant vocem *Extravaganti* sic: *Cap. Nisi essent extr. de Praebendis*; apud illos enim quidquid erat extra Gratiani Decretum *Extravagantis* nomine vocabatur.

XXVIII. Sextus liber a Bonifacio adiectus eodem modo citatur, ac citari solet textus quinque

De-

Decretalium addendo tantum particulam *in Sexto*, hoc pacto: *Cap. Volentes de Privilegiis in Sexto*. Clementinae citantur similiter per verbum initiale addito titulo, sub quo reperiuntur hoc modo: *Clement. Gravis de Sentent. Excommunicationis*; Et eodem etiam pacto allegantur Extravagantes, mutato tantum nomine Clementinae in illud Extravagantis, simpliciter quidem, si fuerit Ioannis XXII. vel adiuncta voce *Communi* si fuerit alterius Pontificis, vel ipsius etiam, quae tamen in ultima Decretalium Collectione reperiatur, sic v. g. *Extravaganti Ecclesiae de Maiorit. & Obedient.* vel *Extravaganti Communi unam Sanctam de Maiorit. & Obedient.* Usus demum invaluit apud Iuris Scriptores, ut saepe laudentur textus, nedum, maioris claritatis gratia, addita initialibus verbis nota numerali, ut de citando Gratiani Decreto diximus; sed etiam per simplicem numeri enunciationem, ut *Cap. I. de Rescriptis*, *Clementin. Unica &c.*

XXIX. Superesset nunc, ut nonnulla dicerem quoque de Scriptoribus, qui tum Gratiani Decretum, tum praesertim Romanorum Pontificum Decretales suis Commentariis illustrarunt. Horum tamen exactum Catalogum legere est apud Doviatium *Praenot. Canon. Lib. V.* Pauca tantum dicturus sum de Glossis, seu brevibus adnotationibus, quae ad Decretum, & Decretales appositae sunt in editionibus iussu Gregorii XIII. factis.

XXX. Ioannes itaque Semeca Theuthonicus Ordinis Praedicatorum, & Praepositus tandem S. Stephani Halberstadensis in Saxonia Glossatorum veterum Gratianaei Decreti glossas collegit, reformavit, multisque additis quasi de integro refrixit, eoque nomine suas fecit. Glossas huiusmodi adiectas adhuc habet Gratiani Decretum post Romanam correctionem

nem iussu Gregorii XIII. editum, non tamen omnino easdem, quales Ioannes ediderat. Etenim Bartholomaeus Brixiensis, qui eadem cum Ioanne florebat aetate circa annum 1256. iis quaedam attexuit, tum, ut Ioannis aliquot errores notaret, tum, ut quae deerant necessaria suppleret, aut quae postea mutata fuerant, adiiceret, quemadmodum ipse testatur in initio Glossarum ad Gratiani Decretum. Praeterea Romani Correctores ad Glossas ipsas, notulas in margine adiecerunt, ut, quae in illis errata paulo maioris ponderis pro humani ingenii infirmitate obrepserant, emendarent, ut monent ipsi Correctores in fine Prologi ad Decretum.

XXXI. Plures quoque Romanorum Pontificum Decretales, quae in Gregoriana Collectione continentur brevibus similibus adnotationibus explanarunt, de quibus consulendus etiam laudatus Dovjatius. Illorum omnium Glossas Bernardus Bottonus Parmensis, & Academiae Bononiensis Praefectus, sive Cancellarius in unum collegit, fuisque lucubrationibus locupletatas ad interpretationem Decretalium Gregorii IX. contulit, atque ita veterum omnium Glossatorum gloriam ad se traxit.


XXXII. Sextus Decretalium, & Clementinae in Romana editione Glossas habent adiectas Ioannis Andreae filii iuris utriusque peritissimi, qui anno 1230. florebat. Extravagantibus Ioannis XXII. in eadem Editione appositae sunt Glossae, quas in eas inscripsit Genzelinus de Cussanis natione Gallus; Communibus vero nonnullis adnotationes Ioannis Monachi Ordinis Cisterciensis, & Cardinalis ti. SS. Petri, & Marcellini; aliquibus vero illae Guillelmi de Monte Lauduno iuris Canonici Professoris in Academia Tolosana; aliis denique Ioannis Francisci de Pavinis. Qui omnes Glossatores seculo XIV. floruerunt.

Haec

Haec erant praefertim, de quibus in antecesſu Operis praemonere vos duxi, nedum, ut puriorem iuris noſtri notionem animis veſtris ingererem; ſed eo vel maxime, ut ea ſummopere commendarem, quae Tyronibus eidem operam navantibus adiumento eſſe poſſunt; ne quidquam occurrat in textus, aut interpretum lectione, quod ipſis negotium faceſſerit, & facile removere non valeant.



[illegible]



AD IVRIS CANONICI INSTITVTIONES MANVDVCTIO.





Vod Iuſtiniani Imperatoris iuſſu praeſtitit olim Tribonianus in concinnandis iuris Civilis Inſtitutionibus, quibus veluti elementaribus praeſidiis iuriſprudentiae Candidati aptius compararentur ad pleniorem ipſius cognitionem; id tandem iuſſu Pauli IV. Summi Pontificis quoad Ius Canonicum quoque executus eſt Ioannes Paulus Lancellottus Peruſinus. Verum non eadem utriſque contigit ſors. Cum Inſtitutiones Civiles ab Iuſtiniano Auguſto recognitae, & adprobatae vim legis obtinuerint; Canonicae vero fatis cedente laudato eodem Summo Pontifice antequam in lucem prodirent ab nemine alio eius Succeſſore ad Legum Eccleſiaſticarum dignitatem, auctoritatemque elevatae unquam fuerunt, licet omnes illarum utilitatem apprime cognoverint, commendaverintque; & Gregorius XIII. teſte Petro Gregorio in Syntagmate Iuris Canonici *Lib. I. Cap. I. n. 16.* Gymnaſiis Peruſino, Bononienſi, aliiſque etiam mandaverit, ut diligenter explicarentur.

Et sane non propterea quod legis vi destituantur minoris emolumenti existimanda est earumdem explicatio, cum per ipsas ad uberiorem Sacrorum Canonum, totiusque Ecclesiasticae iurisprudentiae planior sternatur via, faciliorque aperiatur aditus. Harum ergo vobis, ornatissimi Adolescentes, tradendarum provincia cum ab Augustissimo nostro Imperatore Pio, Felici, Iuventutisque Patre Optimo Francisco Magno Etruriae Duci fuerit mihi demandata, non segnes nos quaeso ipsi morem gerentes manus conferamus ad totius usque Operis perfectionem; quod ut facilius exequamur ab recepta apud nostrates Methodo minime discesserim.

De una tamen, cui studere quammaxime opus mihi hac in re fuit, brevitate vos monitos velim, ne ex huiusmodi Institutionibus plus aequo vobismet blandiamini, perinde ac ex angusto agro redundantem messem collegisse contigerit. Sit ergo.

TITVLVS PROEMIALIS

De iure generatim, eiusque proprietatibus.

§. I.

De iure multiplici, & praesertim Canonico.

I. IVris quidem latissima significatio est *L. pen. & ult. ff. de Iust. & Iur.* Hic tamen ad rem nostram non aliud iuris appellatione intelligi consuevit, nisi quorumdam complexio praeceptorum, quibus tenentur homines sive naturali ratione; sive divino imperio; sive humano praescripto, civili interim, vel Ecclesiastico, ut quandiu vitam hanc degerint honeste vivant, neminem laedant &c. Hinc meritò ius per Syncopem ab iusto, aut iustitia derivari dicitur *L. I. ff. eod.*

II. Iuris itaque generatim accepti duae potissimum species. Divinum nempe, quod a Deo Optimo Maximo pro-

proxime fluit; & Humanum, quod homines ferendarum legum poteſtate donatos cognoſcit Auctores. Divinum utique triplex: Aeternum, naturale, & poſitivum. Attamen duplex humanum; Civile, atque Eccleſiaſticum.

III. Aeternum ius per Auguſtinum Libro primo de Libero Arbitrio Cap. 6 *Summa ratio eſt in mente Dei exiſtens, qua res omnes per congrua media in ſuos fines ordinantur, & diriguntur*. Et clarius lib. XXII. con. Fauſt. cap. 26. *Eſt ipſa divina ratio, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans*. A qua profecto aeternae legis notione, nec ipſi abhorruerunt praeſtantiſſimi ex vetuſtioribus Philoſophi, licet Ethnici, quos inter Tullius Cicero, & Chryſippus; ille quidem dum lib. II. de leg. non hominum ingeniis excogitatam legem dicit, nec ſcitum aliquod Populorum; ſed aeternum quiddam, quod univerſum mundum regat; alter vero dum apud Diogenem Laërtium lib. VII. communem, rectamque rationem in omnes provenientem, qua gubernantur quaecumque ſunt elegantiſſime appellat. Quapropter laudatis ex Cap. 6 verbis merito ſubdit Auguſtinus: *In temporali lege nihil eſt iuſtum, quod non ex lege aeterna homines ſibi derivarint*.

IV. Et ſane aeternae legis prima quaedam veluti derivatio eſt ius naturale, quod ea de cauſa definiri paſſim ſolet: *Participatio legis aeternae rationali creaturae per inſpirationem luminis, & amoris impreſſa*; per quae poſtrema verba duo deſignantur legis naturalis officia, in eo praeſertim poſita, quod, & oſtendat bonum, & ad illud per modum praecepti, & ſuaſionis inclinet. Quod tamen de bono in genere dictum intelligatis velim. Nam lex naturalis ſpectat quidem omnes generatim virtutum actus, ſeu ut inquit D. Thomas I. 2. q. 94. art. 3. *in quantum ſunt virtuoſi*, quod idem eſt, quatenus ſunt rectae rationi conſentientes, non vero actus virtutum ſpeciatim *ſecundum ſe ipſos*, ut idem loquitur, *cum ſcilicet in propriis ſpeciebus conſiderantur*; hos namque haud primo praecipit lex naturalis, ſed rationis inquiſitio paulatim invexit, prout magis vitae recte, honeſteque ducendae expedire animadverterunt homines. Tria naturae principia triplici hominum ſtatui correſpondentia paſſim circumfe-

runtur, quibus cetera comprehendi facile dignoscimus. Primum genericum: *Bonum faciendum, malum fugiendum*, homini congruens in quavis conditione inspecto. Alterum specificum: *ne fecerimus aliis quod fieri nobis nolumus* ad hominem spectans in terra, ubi alii commorantur homines, degentem. Tertium denique singulare ab Iure-Consultis adiectum *Ius suum cuique esse tribuendum*, & quammaxime homini in Civilem Societatem adscito convenit. Enimvero initio rerum, cum non adhuc discretis dominiis communia forent universa, huiusmodi effatum vigere non poterat, uti ferme, & alia quaedam non viguere praecepta naturae, quod tunc abesset materia, circa quam versaretur.

V. Ab naturali iure, cuius ceu consectarinm est, manat Ius Gentium, *quod naturalis ratio inter homines constituit*, quemadmodum dicunt cum Iustiniano *§. III. Inst. de Iustit. & Iur. Iurisconsulti*. Constitutum est enim consensione universorum hominum usu, & necessitate societatis humanae postulantibus, aut etiam aperta suadente utilitate. Neque idcirco, uti naturale ius cum ipso hominum genere exortum est, sed invectum processu temporis, auctumque paulatim; imo & in dies augeri potest, si forte novae hominum necessitates emerserint. Quamobrem cum hominum mores, & gentium consensus, quibus constitutum est mutari prorsus queant, mutationi subinde obnoxium est Ius Gentium, secus equidem ac naturale, cuius praecepta absolutam bonitatem continent, ac immutabilem proinde, vel ut inquit Imperator *§. II. Inst. de Iur. Nat. Gent. & Civ. Divina quadam providentia constituta, semper firma, atque immutabilia permanent*. Verum cum illud omnium Populorum consensu, quo in societatem introductum est, necessario delendum foret, longe difficilius mutari posset, quam Ius humanum positivum, quod ab uno Principe, aut Populo omnino pendet.

VI. Divinum Ius positivum: *Lex est a Deo Legislatore per se atque immediate lata*. Cuius duae potissimum species. Vetus nimirum, & Novum; non opposita, nec diversa quoad finem, sed variis accomodata temporibus. Illud a Deo per Moysem datum, promulgatumque fuit Iudaico Populo, ut is disponeretur ad finem aeternae Vitae

tae

tae ope fidei in Christum venturum. Novum vero tradidit Christus ipse in Lege Evangelica, qua demum completum fuit quidquid olim sub variis figuris, & sacrificiis adumbrabatur. Verùm cum eadem illa Moysis lex praeter iudicialia, & ceremonialia praecepta, quae vel Civile Iudaeorum Ius, vel Religionis cultum spectabant, moralia quoque complecteretur, quae iuris naturalis omnino sunt; interiit quidem teste Apostolo *ad Ebraeos VII.* 12. quoad ea capita, quae Genti Iudaicae ad Christum venturum praeordinatae congruebant; nunquam tamen interire potuit quoad moralia rationali creaturae omni tempore congruentia. Quapropter Evangelica Lex & eadem haec continet praecepta, & ea docet, quae vel Sacramenta, & Religiosi cultus nostri Oeconomiam, vel cetera doctrinae & morum dogmata respiciunt.

VII. Ius positivum humanum, quod a potestatem habentibus in eum conditum est finem, ut naturalis lex, qua certis officiis erga Deum, erga nos ipsos, erga alios tenemur, maiorem vim habeat, nec impune ab iniustis hominibus aut omittatur, aut violetur; duplicis & ipsum est generis civile scilicet, & Ecclesiasticum.

VIII. Civile ergo Ius illud est, quod a seculari Potestate Reipublicae, seu Civitatis bono constitutum est, & promulgatum; de quo ita scribit Imperator §. I. *Instit. de Iur. Nat. Gent. & Civ. Quod quisque Populus ipse sibi ius constituit, id proprium ipsius Civitatis est, vocaturque Ius Civile, quasi proprium ipsius Civitatis.* Ius vero Civile per Antonomasiam, quod & laudatus Iustinianus ib. §. II. admonuit Ius Romanorum est, *quod ex legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, Decretis Principum, auctoritate Prudentum venit.* Quibus adiectum est ius honorarium, sive Praetorium, quod scilicet ex Praetorum Edictis conflatum est. Iuris igitur Civilis universi hae sunt partes, seu species: *Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Praetorum Edicta, Responsa Prudentum;* quae sane omnia novi Iuris Romanorum appellatione veniunt; nam & Romae viguit post leges Romuli, aliorumque Regum antiquum XII. Tabularum Ius; leges nimirum Draconis, & Solonis, post eosdem Reges exactos, dissidiis componendis, rogatu Populi Romam advectae, & X. Tabulis initio

 di-

digestae, quibus ne quicquam deesset duas alias adiecere Decemviri; atque ab hisce duodecim Tabulis publicum omne, privatumque ius tanquam a fontibus in Rempublicam defluxit.

Comprehenditur modo Ius Civile Romanorum quod extat, Theodosiano Codice, quem octo Prudentum Virorum opera condidit Iunior Theodosius; Pandectis, seu quinquaginta Libris Digestorum, collectionis videlicet Sententiarum, quae ex veteribus Iuris-Consultis excerptae fuere; XII. Libris Codicis Iustinianaei; Libro Novellarum Constitutionum, quae Codici adiunguntur; & IV. Libris Iustinianaearum Institutionum, quas ipso Iustiniano Auctore concinnarunt Tribonianus praesertim, Theophilus, & Dorotheus Antecessores, quibus cum aliis tredecim Pandectarum, & Codicis componendorum provinciam Imperator detulerat.

IX. Ius denique Ecclesiasticum, quod & *Canonicum* a graeca voce Κανὼν. quae Latinis est *Regula*, & *Pontificium* passim dicitur, satis recte definiri consuevit, quod *sit Ius Positivum ex Divinis Scripturis, Sacris Conciliorum, ac Patrum Canonibus, aliisque Ecclesiasticis sanctionibus collectum, ad recte vivendum, aeternamque salutem consequendam, atque iustitiam in Populo Christiano conservandam sancitum*. Seu brevius: *Ius Canonicum est, quod Civium actiones ad finem aeternae beatitudinis dirigit*. Ex allata Iuris Canonici utraque descriptione tria ad rem praesentem sunt nobis praesertim deducenda. Primum quidem huic iuri subdi omnes & singulos fideles, qui sub nomine *Civium*, vel *Christiani Populi* significantur, sive Reges hi sint, sive Principes, sive privati iuxta Can. *Duo sunt* dist. 97. Alterum, quod Infideles, cum sint Fidei contrarii, Iuri Canonico in ipsa fundato nequaquam subduntur; *ubi enim fides non est, vera iustitia esse nequit*, ut ait Augustinus relatus XXIV. q.I. c. *ubi*. Tertium denique quod tota ratio discriminis inter hoc, & Civile ius intercedens inde desumitur, quia sicut finis legum Civilium est bonum commune, & temporale; ita legum Ecclesiasticarum est bonum aeternum, & incommutabile; ut infra clarius demonstrabimus.

X. Iuris Canonici origo ab iure ipso divino repeti omni-

omnino debet, nedum quod ab aeterna lege derivatur, haec enim veluti remotior illius origo est, sed praesertim quod a Sacris litteris, a quibus tanquam a fontibus purissimis Sacri Canones praecipue petuntur; & hac potissimum de Causa *Divinum* quoque nec raro, nec immerito Ius nostrum appellatum est; Cuius certe incunabula repetenda sunt vel ab initiis Ecclesiae, atque aevo ipso Apostolorum, quibus, eorumque in Pastorali munere Successoribus cetera, quae Ecclesiae πολιτείαν spectant Christus Dominus ordinanda permisit. Iam tum itaque ab Apostolis conditas quamplures sacras leges par est, ut credamus; Cum earum in spirituali republica eadem perinde necessitas, atque in politica Legum Civilium; & quae singula Ecclesiae bono aut expedire plurimum, aut necessaria prorsus esse iudicatum est, in Conciliis potissimum constituta sunt. Quae vero partes speciatim sint, unde Ius nostrum integrum coalescat infra videbimus.

XI. Maxima iuris istiusmodi quae adsignari potest divisio est, primo quod aliud dici soleat Orientalis, aliud Occidentalis Ecclesiae, seu Graecae, & Latinae. Primum continetur in suo proprio illius Ecclesiae Codice, qui complectitur Canones vulgo *Apostolorum*, Nicaenos, Constantinopolitanos, multarumque aliarum Orientalium Synodorum, uti Neocaesariensis, Gangrensis &c. Exhibet alterum Codex Latinus, qui prioribus quatuor seculis solos complexus est Nicaenos Canones teste Innocentio I. Summo Pontifice in epist. ad Clerum CP., vel si alios forte, omnes sub Nicaenorum nomine inscriptos; lapso vero seculo IV. Orientalium quoque Conciliorum decreta, seu Collectionem Orientalibus dictam *Codex Canonum universae Ecclesiae*, cui subinde Dionysiana, aliaequae Collectiones accessere. Paulo aliter institui potest divisio eadem, si nimirum hisce Ius quoque adiiciatur Africanum, quod ob sui praestantiam, molemque non exiguam, haudquaquam veluti Iuris Occidentalis accessio quaedam, aut pars, sed tanquam species altera iuris generatim spectetur. Hoc autem Ius comprehenditur Africano Codice, editorum scilicet in Africa Canonum ad annum usque CCCCXIX. quorum Collectio Carthaginiensi Concilio probata est.

XII. Spectari etiam potest hoc nostrum Ius & in alte-

tera duplici differentia, ut aliud nempe vetus, aliud novum appelletur. Illud antiquioribus Collectionibus, quae Gratianaeam praeivere, concluditur. Novum vero, quo nunc in Scholis, & Foro utimur; & hoc Gratianaeo Decreto, maxime autem Decretalium volumine, aliisque, authenticis potissimum Collectionibus continetur. Quamquam & vetus Ius eae Constitutiones dici possint, quae antiquitus quidem observatae, at nunc temporis nullam prorsus vim habent; Novum contra illae sint, quae & his temporibus vigent.

XIII. Illud tamen hocce in negotio quammaxime animadvertatis oportet antequam ulterius progrediamur, videlicet, quod cum istiusmodi Iuris Canonici Corpus, ut ita dicam, nedum ex Sacrarum litterarum praeceptis, Summorum Pontificum Constitutionibus, & Oecumenicorum Conciliorum regulis constet, quae ex suapte natura vim legis obtinent, sed exereverit quoque quamplurimum tam ex legum Civilium Statutis, quam Sanctorum Patrum Sententiis, & Synodorum particularium Sanctionibus, quae minus auctoritatis in se habere videntur alicui; ambigere posset fortasse quispiam, an eadem ipsis revera, quae ceteris foret attribuenda potestas. Verumenimvero de Legum Civilium in se ipsis etiam sumptarum, quae iuri nostro, aut bonis moribus non adversantur robore dubitari non sinit *Caput I. de Novi Operis nuntiatione*, quanto magis ergo corpori iuris insertarum? At Ecclesiastici Canonis vim revera non habent, nisi quatenus in aliquam ex Canonicis Constitutionibus fuerint translatae, & veluti suas fecerit Summus Pontifex; quemadmodum apposite Iustinianus in *L. I. C. de Iure veteri* enucleando dixerat: *Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur*, & Bonifacius VIII. in *Cap. Si Apostolicae XXII. de Praebend. in VI.*

XIV. Idem prorsus servata tamen proportione dicendum est sive de Sanctorum Patrum sententiis, sive de Particularium Synodorum sanctionibus. Enim vero licet unius, alteriusve Patris sententia tanti non sit ponderis, ut universum Christianum Populum obliget, quemadmodum neque Statuta unius, alteriusve Dioecesis, aut Provinciae, ut Ecclesiam universam afficiant; Nihilominus semel ac ab

Su-

Suprema Ecclesiastica Potestate Corpori iuris inferuntur, vis quoque ipsis attribuitur Canonis universalis. Cuius rei ea potissima ratio est, quia omnium legum vis, & latitudo, ab extensione pendet, & vi iurisdictionis, quam habet Legislator, *Arg. Cap. II. de Constitut. in VI.* Et haec de Iure Canonico inspecto, nunc de eius partibus speciatim.

§. II.

De Ecclesiasticis Constitutionibus, & Consuetudinibus.

I. IVs Canonicum, non secus ac Civile, vel scriptum est, vel non scriptum. Illud generico Constitutionum nomine passim appellatur; hoc autem Consuetudinis.

Et sane Constitutio licet in strictiori significatione accepta denotet ius indictum a Supremo Principe nullius subdito iurisdictioni, ut sunt Summus Pontifex, Imperator, Reges &c. *Can. Constitutio Dist. II.* Nihilominus latius sumta complectitur quamlibet in scriptis emanati ab habentibus potestatem iuris partem. Quapropter Ecclesiasticae Constitutionis nomine hic intelligi consuevit quodlibet Statutum, seu ius scriptum ab Ecclesiastica Persona legislativam potestatem habente latum; Cuius species septem praecipue enumerantur a Canonistis, *Dogma* scilicet, *Mandatum*, *Interdictum*, *Sanctio*, *Canon*, *Decretum*, & *Epistola Decretalis*.

II. *Dogma* est Constitutio decernens de iis, quae ad fidem pertinent. *Mandatum* de iis, quae mores, & disciplinam respiciunt; Mandata Apostolica in iure frequentia sunt, quibus Papa significat Ordinario, ut certae Personae de beneficio provideat, *Cap. Mandatum, & seqq. de rescript. Interdictum* est, quo aliquid prohibetur nulla adiecta in transgressorem poena, *Can. Interdixit dist.* 32. Quod si poena adiecta fuerit appellatur *Sanctio*, *Can. Sancimus I. q.* 7. quae tamen nomina non ita semper rigorose usurpantur, quin frequenter confundantur etiam. Pariter *Canonis* nomine quamvis stricte veniat Constitutio in genera-

rali Concilio edita, nihilominus saepissime quoque intelliguntur Synodorum particularium Statuta. *Decretum* proprie dicitur, quo Summus Pontifex non consultus a partibus, sed sponte sua, adhibito etiam Cardinalium consilio, Constitutionem edit pro aliquo negotio; *Decretalis* demum *Epistola* est Constitutio Romani Pontificis ad alterius consultationem edita.

III. Apostolicae Constitutiones, quae *Rescripta* vocantur, quia ad alterius petitionem conceduntur triplicis praesertim sunt generis; Aliud quippe est *contra ius*; aliud *ad lites*; aliud *ad beneficium*. Primum idem est ac privilegium, quo subditus ab observantia legis, qua tenebatur, eximitur. Alterum est, quo Romanus Pontifex consultus de iure obscuro illud aperit, ut in *Cap. Postulasti de Rescript.* vel quo in causam ad se devolutam Iudicem delegat; Huiusmodi Rescripta dicuntur etiam *Rescripta iustitiae*, quia non mere gratuita sunt, sed causam adiunctam habent. Rescriptum denique *ad beneficium* idem est ac mandatum, & dicitur etiam *gratiae*, quatenus nonnisi concedentis liberalitatem agnoscit *Cap. Gratia eod. in VI.*

IV. Illud tamen hac in re notandum occurrit, quod *Rescripta iustitiae* si dolo, vel negligentia executioni mandata non fuerint post annum expirant *Cap. 9. & 25. de Rescript.* At *Rescripta gratiae* permanentem vim habent, nisi forte ultra modum quis negligens fuerit *Cap. 16. de Regul. Iur. in VI. 36. de Praeb. & 11. eod. in VI.*

V. Vbi vero contigerit quod duo ab adversis partibus fuerint in eodem negotio impetrata Rescripta, posterius nullius erit roboris, si prioris non meminerit; secus tamen si meminerit, tunc enim primum intelligitur abrogatum *Cap. 3. de Rescript.* quemadmodum, si unum generale fuerit, & alterum speciale, generali semper derogatum praesumitur per speciale *Cap. I. eod.*

VI. Demum cum non concedantur rescripta, nisi sub explicita, aut implicita clausula *Si preces veritati innitantur* Cap. *ex parte 2. eod. l. interpositas C. de Transact.* & l. *ult. C. de rescript.* idcirco expressio falsi, & veri suppressio, seu obreptio, & subreptio ex malitia proveniens invalidum reddit rescriptum *Cap. 8. & 20. eod.* Ex igno-

ignorantia vero procedens si parum aut nihil affecerit negotium, quia prudentum judicio adhuc rescriptum obtentum fuisset re integre, & clare expressa, illud neutiquam vitiat saltem *in forma communi*, idest, ut Iudex delegatus causam definiat iuxta ordinem iuris, non autem ad normam Rescripti.

VII. Ad alteram tituli partem quod attinet: Consuetudo definitur ab Iustiniano *lib. I. Instit. §. 2. de Iur. Natur. Gent., & Civ.*, quod *Sint diuturni mores consensu utentium comprobati*. In iure vero nostro *Dist. I. Can. Consuetudo* describitur: *Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum lex deficit*. quatenus vim legis habet; & licet non ab legislatore, sed ab Populorum usu proficiscatur; tamen vel est legis non existentis supplementum; vel iam existentis optima interpres, *Cap. Cum dilectus De Consuetud.*

VIII. Potissima consuetudinis divisio est, ut alia sit *secundum legem*, alia *praeter*, alia etiam *contra*. Prima ius novum non inducit, sed praeexsistens aut interpretatur tantum, si dubium fuerit *L. Si de interpretatione ff. de Leg.* aut executione confirmat. Altera ius novum revera inducit, ubi lex deficit. Tertia demum ius scriptum, cui opponitur, abolet, & de hac fit mentio in *Cap. Cum Sancto de Consuet.*

IX. Verum, ut huiusmodi consuetudo legitime inducatur duo ex mox laudato Capite requiruntur omnino. Primum, ut sit rationabilis, ne scilicet iuri divino, aut naturali opponatur, neque damnetur tanquam corruptela ab Sacris Ecclesiae Canonibus, aut occasionem peccandi praebeat, vel quovis alio modo Communitati sit perniciosa. Alterum vero requisitum est, ut sit legitime praescripta. De qua tamen praescriptione non una est omnium sententia, post quantum nempe temporis intelligatur inducta; adserentibus aliis spatium annorum decem sufficere; aliis vero ad consuetudinem contra legem Ecclesiasticam spatium annorum quadraginta omnino requiri; ea potissimum ratione, quod nonnisi post totidem annos in iure Canonico praescriptio obtineat.

X. Illud quoque ad inducendam consuetudinem interveniat necesse est, ut nimirum a maiori Populorum par-

parte, & animo saltem interpretativo ad illam inducendam libera, & diuturna actuum frequentia habeatur Principe vel expresse, vel tacite adminus consentiente.

§. III.

De Iuris Canonici fine, materia, & eum civili consensione; ubi de nostrarum Institutionum Ordine.

I. POstquam de Iuris Canonici principiis, & partibus quaedam delibavimus; nonnulla quoque de fine, in quem ipsum tendit; de materia, circa quam versatur; & de ea, quam cum Civili iure dicit consensione attingamus oportet. Nisi enim praecipuas istius generis relationes, quas habet unaquaeque facultas probe intelligat, qui eidem manus admovere conatur diu in incertum ferri ipsi necessario contigerit.

Ad primum ergo quod attinet nulli dubium esse poterit, quin omnis legislativa potestas a Christo Domino Ecclesiae concessa, eo praesertim spectet, ut unusquisque Fidelium per mores Christiano homine dignos tum in iis, quae aut facienda, aut vitanda, tum in iis, quae credenda sunt ad beatitatem dirigatur aeternam. Id sane inter cetera evincunt illa *Act. II.* verba ad Ecclesiae Pastores prolata: *Posuit vos Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Nostrum profecto neminem latet Christum Dominum sanguinis sui pretio sacram hanc Rempublicam instituisse, ut hominibus post exactum praesentis vitae cursum felicitatem in Caelis compararet nunquam interituram: hinc *Io. XXI.* conversus Petro, quem Ecclesiae suae caput constituerat dixit: *Pasce oves meas*; hinc *Matth. XVI.* eidem plenissimam, illimitatamque tribuit potestatem inquiens: *Tibi dabo claves Regni Caelorum.* Quapropter alius utique non potest esse finis Ecclesiastici Iuris, nisi aeterna hominum salus, seu ipsum incommutabile bonum, per huius vitae actus adipiscendum; unde bonum etiam temporale veluti necessarium consectarium sequatur oportet, maxima nempe civilis

lis Societatis tranquillitas. Quemadmodum Polyticae legislationis proximus, immediatusque finis est quidem commune temporale bonum, temporalisque humanae Societatis felicitas; attamen quis inficiabitur unquam Civile ius ordinari etiam tanquam ad finem ultimum, & remotiorem ad aeternam Populorum felicitatem proportionato sibi modo procurandam?

II. Quod cum ita se habeat, patebit quoque materiam nostri Ecclesiastici iuris propriam, non esse nisi res spirituales; eo modo quo Civilis sunt temporales. Enimvero, non alia esse possunt legum sive Ecclesiasticarum, sive Civilium materia, nisi quae tanquam proportionata media proxime conducunt ad finem immediatum unius, alteriusve Potestatis; Cum ergo spiritualia tantum ita se habeant in ordine ad incommutabile bonum, seu aeternam beatitatem; & sola itidem temporalia in ordine ad bonum temporale, seu praesentem Civilis Reipublicae tranquillitatem; Consequens erit Ius Ecclesiasticum res spirituales tanquam propriam materiam primario attingere, Ius vero Civile res temporales.


Et hac profecto de causa factum potissimum puto quod ius nostrum, non secus ac Imperatorium, quoties de utriusque Potestatis limitibus loquuntur, nil magis familiare habere videantur, quam ut Ecclesiasticae curam spiritualium rerum attribuant tantum; Polyticae vero dumtaxat terrenarum. Ita sane *Can. quoniam Dist.* 10. scribit Nicolaus Papa ad Michaëlem Imper. *Sic Deus actibus propriis, & dignitatibus distinctis utriusque potestatis officia discrevit, ut & Christiani Principes pro aeterna vita Pontificibus indigerent; & pro cursu temporalium Pontifices imperialibus legibus uterentur; quatenus spiritualis actio a carnalibus distet incursibus, & militans Deo negotiis se non implicet saecularibus, ac vicissim divina non attingat qui est temporalibus intentus*. Eadem legere est *Dist.* 96. *Can. Si Imperator*, *Can. Cum ad verum*, aliisque, quorum doctrinam paucis complexus est Leo IV. *Can. Si nos incompetenter*, dicens: *Sicut Reges possunt in causis seculi, ita Sacerdotes in causis Dei*. Idem prorsus fatetur & ipse quoque Iustinianus Imperator in Praefat. VI. Novellae Constit. hisce verbis; *Maxima quidem in hominibus*

sunt

sunt dona Dei a superna collata clementia Sacerdotium, & Imperium: illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis praesidens, ac diligentiam exhibens. Illudque demum luculenter tradidit apud S. Athanasium in Epistola ad solitarios magnus ille Osius Cordubensis Episcopus Constantinum Imperatorem adloquens, & Gregorius II. ad Leonem Isaurum scribens.

III. Quoniam vero, ut paulo ante dicebamus, Canonicum, & Civile ius in id maxime conveniunt, quod ad hominum instituendos mores tam in ordine ad aeternam, quam ad praesentem felicitatem fuerint condita; consequatur oportet, tria utrumque spectare potissimum; Personas videlicet, quae ordinandae sint ad eiusmodi finem; Res, quibus mediantibus finis obtineatur intentus; & Iudicia, quibus singulorum actiones expendantur an fini congruant, an ab eo recedant; Et quia huius generis recessus vel privatam tantum importare possunt iniuriam, vel etiam publicam, ideo haec eadem iudicia duplicis quoque sunt speciei, aut civilia nempe ad privatam satisfactionem, aut criminalia ad publicam vindictam.

En igitur unde fluit Institutionum nostrarum Ordo iuxta receptissimam apud maiores nostros methodum, quam sequens ipse totum Opus partiar in libros quatuor. In eorum primo agemus de Personis; in secundo de rebus; in tertio de Iudiciis Civilibus; in quarto de Criminalibus. Sub hisce porro rerum generibus omne, quo utimur, ius comprehendi docet quoque Imperator in *L. I. ff. de hominum statu*.



IV-

IVRIS CANONICI
INSTITVTIONVM
LIBER PRIMVS
DE IVRE PERSONARVM.



TITVLVS I.

De Personis generatim, earumque distinctione.

I. Personarum omnium duplex est genus; aliud Laicorum; Clericorum aliud; Ad illos temporalium rerum administratio pertinet; Ad hos spiritualium, *Can. Duo sunt*, *II. q. 1.* Laicorum nomine quod a graeco verbo Λαὸς, latinè *Populus* desumtum est, veniunt omnes de seculo, sive nobiles, sive ignobiles, sive privati, sive Principes. Clerici vero a voce Κλῆρος, quae nobis *sors* est, appellati sunt, quasi in sortem Domini vocati, *Can. Cleros Dist. 21.* Clericorum autem alii in Sacerdotio sunt constituti, ex quibus in gradu altiori quidam, quidam in inferiori sunt positi; alii quoque in Sacris tantum reperiuntur; alii demum neque in Sacerdotio, neque in Sacris. De his omnibus ergo agendum nobis in praesenti libro; & primo quidem de constitutis in gradu altiori, qui ex eo vel maxime, quod docentem Ecclesiam repraesentant, legislativa potestate in suos respective subditos donantur; De aliis vero infra.



TI-

TITVLVS II.

De Summo Pontifice, & aliis Episcopis.

I. Totius Ecclesiasticae Hierarchiae principem locum tenet Romanus Pontifex, Divi Petri in Ecclesiae Primatu Successor, & Christi Domini in terris Vicarius; Cui tanquam universali Pastori omnes, & singulos Christifideles pascendi, & instruendi onus incumbit. Unde potestate immediate sibi a Deo concessa leges ferre potest in materia spirituali, & pro recto Ecclesiae regimine totum Christianum Orbem obligantes, ut tradit, probatque Innocentius III. *Cap. Solite de Maior. & Obed.* Ipse omnibus praeest, cunctos iudicare potest: & a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a Fide devius *Can. Si Papa Dist.* 40.

II. Primum infra Pontificem locum sibi vindicant S. R. E. Cardinales, quos non nisi ipse Pontifex creare potest, poscentibus etiam, seu nominantibus interdum Regibus. Eorum praecipuum munus est, ut Papae iudiciis adsideant, eiusque Senatum constituant. Quamobrem suae dignitatis amplitudine supra omnes Episcopos, Archiepiscopos, & etiam Patriarchas eminent, ut ex Bulla Eugenii IV. & ex *Cap. quae de maior. & Obed.* aperte deducitur.

III. Cardinales proxime excipiunt Patriarchae, quales sunt CPolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Qui licet si attendamus ad spiritualem Ordinis potestatem, & gradum ceteris Episcopis aequiparentur; maiori tamen, ac isti sunt praediti iurisdictione; Quia plurium Provinciarum Episcopis, & Archiepiscopis ex Ecclesiae consuetudine praeponuntur, & ideo passim Patrum Principes appellantur, *Can. Cleros Dist.* 21.

Hisce etiam ob dignitatis excellentiam, & honoris amplitudinem permittitur, ut Crucem ante se deferri faciant ubicumque extra Vrbem, & ubi fuerit Summus Pontifex, vel eius Legatus insignibus utens Apostolicae dignitatis *Cap.* 23. *de Privileg.* In omnibus quoque suae iu-

iurisdictionis Provinciis recipere possunt appellationes ab Episcopis, & Archiepiscopis, cum opus fuerit; salvis tamen appellationibus ad Romanam Sedem immediate interpositis, ut adseritur in mox laudato Capite.

IV. Archiepiscopi, qui & Metropolitani appellantur, sunt, qui Provinciae unius Episcopis praesunt *Can. Scitote VI. q. 3.* & Archiepiscopi propterea nominantur, quasi Episcoporum Principes. Praeesse de iure debent decem, vel potius undecim Episcopis ex eod. *Can. Scitote*; & hoc ideo praesertim, quia Metropolita est ordinarius Iudex suorum Suffraganeorum, quorum Causae tractari non possunt, nisi coram pluribus Episcopis *II. q. 7. Can. Si quis tumidus*; Nihilominus in praxi obtinet, ut Archiepiscopus ille etiam habeatur, cui pauciores subsint Suffraganei, seu auxiliatores Episcopi.

V. Episcopi tandem sunt, qui uni Civitati, vel uni Populo praesunt *Can. Cleros Dist. 21.* Vocantur autem Episcopi ex graeco verbo σκοπεῖν, quod est speculari, quasi sint suae Dioecesis speculatores. Episcopus enim mores speculatur, & vitam Populi sibi commissi, officiumque primi Parochi, & Animarum Pastoris exercet.

TITVLVS III.

De Electione, & Electi Potestate, deque eius confirmatione, & Consecratione.

I. Tribus praesertim modis, Electione, nempe, Postulatione, & Translatione ad maiores Ecclesiasticas dignitates adsumi consueverunt Personae, de quibus usque modo locuti sumus; de singulis ergo agendum nobis est. De primo hic, de aliis in subsequentibus titulis.

II. Quamvis Electionis nomen magis late pateat, quam hic sumitur; nihilominus apud Canonistas aliud non significat proprie, & stricte acceptum nisi: *Personae idoneae ad Ecclesiam vacantem, seu Praelaturam per eos, quibus ius eligendi competit canonicam, vocationem*; idest iuxta Canonum Ordinationem; quae multiplex pro varia

aetate fuit. Attamen Innocentius III. in Concilio Later. IV. obſervans incomoda, quae Eccleſiis Paſtore viduatis ex diverſis electionum formis accidebant, ſtatuit *Can.* 24. relato in *Cap. Quia propter h. t.* ut non niſi tribus a Concilio praeſcriptis modis perficeretur Electio, nempe per *Scrutinium*, *Compromiſſum*, & *quaſi inſpirationem*.

III. Forma eligendi per Scrutinium ſatis clare traditur in laudato *Cap. Quia propter* his prorſus verbis: *Praeſentibus omnibus, qui volunt, debent, & poſſunt intereſſe, adſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecreto, ſigillatim, & diligenter exquirant vota cunctorum, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto, ut is collatione habita eligatur, in quem vel omnis, vel maior, vel ſanior pars Capituli conſenſit.* Et licet habenda ſit ratio *meriti ad meritum* Electorum, & *Zeli ad Zelum* Eligentium, *Cap. in Geneſi h. t.* tamen ad vitandas inimicitias, rixas, aut ſaltem ſimultates, ſaniorem partem Trid. Synodus declaravit intelligendam eſſe in maiori Capitularium numero.

IV. Per compromiſſum vero Electiones fiunt cum uni, aut pluribus tota committitur eligendi poteſtas. Quae tamen concedi poteſt vel abſolute, vel conditionate, cum aliqua nimirum limitatione aut temporis, aut Perſonarum. Verum Compromiſſum huiuſmodi ſive uni, ſive pluribus eiusdem, vel alterius Collegii fiat, fieri omnino debet unanimi Eligentium conſenſu, ita quod ſi vel unius intervenerit diſſenſus, invalidum ſit, iuxta regulam XXIX. *Iuris in 6. Quod omnes tangit ab omnibus debet adprobari*, neque Compromiſſarii initi compromiſſi fines transgredi poſſunt, *Cap. Cum Dilectus h. t.*

V. Poſtremus denique eligendi modus nullas exigit ſolemnitates in iure praeſcriptas, neque Suffragiorum calculum, ſed tum accidit, cum omnes Electores abſque ulla praevia induſtria, vel arte, ſed Spiritu Sancto potius impellente unam determinatam Perſonam poſtulant, ut multoties accidiſſe tam in Epiſcoporum, quam Romanorum etiam Pontificum electionibus diſcimus ex hiſtoricis documentis. Electiones tamen eiuſmodi differunt quamplurimum ab iis ad Populi clamorem factis, quas ceu tumultuarias, ambitioſas, & de Simonia ſuſpectas reprobandas eſ-

esse placuit Patribus Sardicensibus, ut in *Cap. Osius h. t.*

VI. Quovis ergo modo ex dictis celebretur Electio, illis, quorum interfuerit, ubi se gravatos sentiunt, appellare utique ab ea licet; Quae etiam appellandi facultas nedum competit iis, qui sunt ex numero Eligentium, sed omnibus quoque subditis Praelati electi, *Cap. Quod sicuti h. t.* Appellantes nihilominus Romanae Curiae infra mensem se praesentare tenentur ad praestandum iuramentum de vitanda calumnia, & cetera observanda, quae disponuntur in *Cap. 1. h. t. in 6.* iuxta declarationem Bonifacii VIII. & in *Cap. Is qui*, *Cap. Procurator*, *& Clem. 4. eod.*

VII. Electio igitur celebrata debet praesentari Electo; Qui si ipsam acceptaverit, confirmationem etiam exposcere tenetur ab eo, ad quem spectat ipsum ordinare, aut consecrare, *Dist. 65. & 66.* Nam Electus ante confirmationem esto ius acquirat ad dignitatem in *habitu*, ut loquuntur Canonistae, non acquirit tamen in *actu*, *Cap. Si eo tempore h. t.* Quapropter nequit, quovis procurationis etiam, vel oeconomatus colore, administrationi Ecclesiae se ingerere, aut beneficia conferre *Cap. Avaritiae*, & *Cap. Nosti h. t.* Caveat tamen Electus ne duas prosequatur electiones de se factas, cum debeat se speciatim declarare ex vi cuius confirmationem petat, *Cap. Is cui h. t. in 6.*

VIII. Confirmatio olim in Synodis ad id expresse congregatis fiebat, ut post alios demonstrat Petrus de Marca *lib. VI. concord. Cap.* 3. Obtinuit nihilominus postea, ut Electio Episcopi a Metropolita; Archiepiscopi a Patriarcha; huius vero a Summo Pontifice confirmaretur, *Can. Mos antiquus Dist. 65. Cap. Cum olim de Maior. & Obed.* Hodie vero omnes indiscriminatim Electiones a propriis Capitularibus celebratae per Summum Pontificem confirmantur, quod fieri etiam consuevit aliquando in ipsa Imperatoris electione *Cap. Venerabilem h. t.* Confirmator tamen antequam Electionem confirmet inquirere diligenter de vitae probitate ipsius Electi tenetur. Secus enim, confirmans indignum, confirmandi alterum proxime electum, aut eligendum facultate privatur, & suspenditur a perceptione fructuum beneficiorum *Cap. Scriptum*, *& Cap. Nihil est h. t.*

 IX. Con-

IX. Confirmatus interim etiam ante Confecrationem ea exercere poteſt omnia, quae ſunt Iurisdictionis, non autem Ordinis; quapropter ius illi eſt corrigendi, iudicandi, in beneficiis inſtituendi, excommunicandi, iuramentum a Vaſſallis exigendi &c. *Cap. Tranſmiſſam h. t.* Niſi tamen de rebus agatur graviſſimi momenti, quarum cognitio, & iudicium maiorem exquirunt diſquiſitionem, ut notat Cuiacius in Caput *Verum de Foro Compet.*

X. Poſtremum, quod abſolvit totum Electionis negotium eſt ipſius Electi conſecratio, quae ſupra Iurisdictionem Ordinem addit; unde tantam dignitatem, & honorem conſequitur conſecratus, ut merito Papae frater evadat ex Ivone Carnot. *Epiſt.* VIII. Eaque de cauſa nil mirum ſi antiquitus Praeſules anniverſariam ſuae Conſecrationis diem ſolemni ritu celebrarent, *Can. Solemnitates, & ſeqq. Diſt. I. de Conſ.* Quinimo reus unus e vinculis liberabatur ex eodem Ivone *Epiſt. LIII.* Huiuſmodi vero Conſecratio fieri ſolebat a tribus Epiſcopis inter Miſſarum ſolemnia *Can. Porro Diſt. LXVI.* Adeo ut a minori Epiſcoporum numero facta licet Caracterem imprimat, effectum tamen non tribuit iuxta Archid. *in Canon. quid ſit Diſt. II. de Conſ.*

XI. Quae de Electione hic generatim dicta ſunt, poſſunt quoque ad Romani Pontificis electionem extendi; in hac tamen nonnulla ſunt ſpecialia, praeſertim poſtquam ad Cardinalium Collegium unice ſpectat. Haud etenim eadem ſemper fuit huiuſmodi Electionis forma, ſed iuxta varias temporum opportunitates variavit & ipſa, praecipue circa Eligentium Perſonas. Primitus quippe non ſecus ac in Electionibus ceterorum Epiſcoporum, hoc ius ad Clerum ſpectabat cum teſtimonio Plebis *Can. Plebis & ſeqq. diſt.* 63. Imo aliquando toleravit Eccleſia, ut Papa electus confirmaretur ab Imperatore, quam temporum conſuetudinem minus probat S. Gregorius Magnus in *expoſit. Pſal. VII. & lib. VI. epiſt.* 4. Verum per Nicolaum II. & Gregorium VII. priſtinae tandem libertati reddita Eccleſia, ius eligendi Romanum Pontificem ad ſolos S. R. E. Cardinales fuit devolutum. Ex quo paulatim fieri coepit, ut multa in eadem Electione ſervanda ſtatuerint Alexander III. in *Cap. licet*, Gregorius X. in *Cap. ubi periculum*, & Clemens

mens V. in *Cap. Ne Romani b. t.* suis respective locis.

XII. Quae itaque speciatim ibi decernuntur ad haec praesertim Capita facile redigi possunt. Primo quod nulla sit necessaria Eligentium citatio. 2. quod absentes suum votum alteri demandare nequeunt. 3. quod ut Electio sit valida non sufficit maior pars, sed duae ex tribus requiruntur omnino Cardinalium partes; cuius potissima ratio inde petitur, quod nullus sit superior ad quem fiat recursus, quoties in eiusmodi electione aliquod emerserit dubium. Speciale quoque est in electione Summi Pontificis, quod Cardinales quomodocumque suspensi, excommunicati, vel interdicti nunquam repellantur ab Electione ex eadem *Clement. Ne Romani*. Plura denique alia secutis temporibus peculiariter ad hanc Electionem spectantia decreverunt Clemens VII. Pius IV. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. in suis Constitutionibus hac de re editis.

XIII. Ceterum Romani Pontificis Electio fieri potest vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem, ut supra diximus, vel etiam per adorationem, cum nempe nullo celebrato Scrutinio duae ex tribus Cardinalium partes aliquem communi consensu in Summum Pontificem adorant. Quinimò nulli ex his eligendi modis alligatur necessario huius generis Electio, ad quam sufficit omnino, ut quoquo modo duae ex tribus partes concurrant Cardinalium.

XIV. Ad complementum huius tituli aliquid brevissime dicendum nobis superest de tempore, quo fieri debet Electio. Ad minores igitur dignitates ea per sex tantum menses differri potest ex Concilio Later. III. sub Alexandro III. & *Cap. Quia Diversitatem De Concess. Praeb.* Ad maiores vero, hoc est ad Episcopatum, & Praelaturas regulares cautum est in *Cap. Ne pro defectu b. t.* ne ultra tres menses protrahatur. Quod si absque legitimo impedimento huiusmodi praescriptum ab iure tempus transgrediantur Electores, privantur iure eligendi pro ea vice, quod ad proximum, seu immediatum Superiorem devolvitur ex *Cap. laudato, & Cap. ubi Abbas b. t. in 6.*

TITVLVS IV.

Qui eligere, eligive possint.

I. **E**Ligendi ius, seu Praelatorum electio de iure spectat ad Capitulum, Collegium, seu Communitatem, cui Praelatus est eligendus *Cap.* 1. & 14. *h. t.* Dixi *de iure*, nam ex privilegio, aut ex consuetudine pertinere etiam potest ad extraneos *Cap. Cum dilectus de Consuet.* & *Cap. Humana* 50. *h. t.* Hodie tamen tum per regulas Cancellariae Apostolicae, quarum secunda Romano Pontifici reservat Ecclesiarum Maiorum provisionem, tum per privilegia Principibus concessa, & praecipue Hispaniarum, Galliarumque Regibus, quibus ius nominandi, & praesentandi Episcopos suorum Regnorum acquisitum est, fere sublata videtur electiva potestas Capitulorum, adeo-ut plures apud Fagnanum iure sentiant titulum *de Electione* pene inutilem esse. Verum superest adhuc Germania, ubi mos eligendi Episcopos per suos Capitulares modo etiam viget. Quapropter

II. Eligere primo non possunt qui natura prohibentur, ut impuberes ob inopiam consilii, quemadmodum omnes illi, qui nec de contemptu conqueri possunt, neque non admissi factam ab aliis electionem impugnare, *Cap. ex eo quod* 3. *de Elect.* in 6. II. Qui in sui delicti poenam ab iure excluduntur, ut qui maiori excommunicatione tenentur, quandiu tolerati non fuerint *Cap. fin. de Clerico Excommun.* Qui suspensi, *Cap. Cum dilectus* 8. *de Consuet.* etiamsi ab officio tantum suspensi fuerint, cum ius eligendi Personis Ecclesiasticis competat propter officium; quapropter suspensus a beneficio tantum, excludi ab Electione nequit; Qui irregulares *Cap. Is qui in Ecclesiae* §. *fin.* 18. *de sent. Excomm. in* 6.; Qui personaliter interdicti *Cap. Cum inter* 16. *h. t.* Ii omnes tamen suffragii in electione ferendi iure non privantur, nisi sententia criminis declaratoria ab Iudice prolata praecesserit; & facta Electio non irritatur, nisi scienter, huiusmodi personis intervenientibus, fiat, quemadmodum declaravit Marti-

tinus V. *in Extravaganti Ad evitanda*. III. Prohibentur eligere in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis qui voto in Capitulo carent propter defectum alicuius Ordinis Sacri *Clem. 2. de aetat. & qualit. praeficien. & Trid. Sess. XXII. Cap. 4. de Ref.* IV. Sunt enim alii, qui ad tempus dumtaxat eligendi iure destituuntur, ut qui inter eligentes laicorum suffragia admiserunt, quae Electio passim appellatur *per abusum secularis potestatis*, ex qua admissione ipsa quoque electio irritatur *Cap. 43. de Elect.* Item qui in eligendo formam canonicam non servant *Cap. Quia propter eod.* Qui Canone prohibitos, ut minores, infames, illegitimosque elegerunt, ea vice suffragio, & per triennium etiam officii sui exercitio carent *Cap. Cum in cunctis eod.* Quare si eligentium pars indignum, aut etiam inhabilem elegerit; & alia eorum pars elegerit dignum, ad hos devolvitur Electio, si vero omnes indignum elegerint, tum ad Superiorem immediatum electio spectabit *Cap. bonae fidei 23. eod.*

III. Ad alteram tituli partem quod attinet. Ex Concilio Later. III. *Cap. Cum in cunctis de Elect.* quatuor requiruntur omnino, ut quis creetur Episcopus, XXX. annorum aetas; vitae, morumque probitas; litterarum peritia; & ex legitimo matrimonio natalis, nec satis est, ut eligibilis fiat, quod subsecutum postea fuerit matrimonium inter suos parentes, *arg. Cap. Cum innotuit eod.* Quare rejiciuntur Criminosi, Haeretici, Schismatici, Excommunicati, Cathecumeni, & etiam Neophiti *Can. Quoniam dist. 48.* Qui indignum elegerunt, ineligibiles per triennium evadunt & ipsi, *d. Cap. Cum in cunctis, Cap. Cum Victoriensis, & Cap. Per inquisitionem eod.* Pariter qui in Theologia, aut iure Canonico publicae Academiae alicuius testimonio licentiatus saltem non extiterit, ex *Trid. sess. XXII. cap. 2. de ref.* Item qui Sacris Ordinibus sex ante menses iam initiatus non fuerit; & qui aliam Ecclesiam; aut alicuius beneficii curati titulum retinuerit, nisi dimittere velit ex *Trid. ib. & Sess. VII. cap. II.* Pro Parochialibus vero Ecclesiis administrandis eadem fere omnia requiruntur, nisi quod aetas annorum XXV. sufficiat, & Ordinum intra annum susceptio *d. Cap. Cum in cunctis, & Cap. nemo eod. in 6.*

TITVLVS V.

De Praelatorum Postulatione.

I. Postulatio prout hic sumitur aliud non est, nisi *supplex eorum, ad quos eligere spectat petitio apud Superiorem facta, ut certa promoveatur Persona ad Ecclesiasticam Praelaturam, ad quam iure eligi non potest ob impedimentum aliquod Canonicum.*

II. Ex allata huiusmodi definitione apparet I. Postulationem inventam esse in remedium prohibitae electionis. II. Ad eos pertinere dumtaxat, ad quos ius pertinet eligendi. III. Postulationem nonnisi superiori esse faciendam, eamque potius gratiae, quam iustitiae inniti. IV. Eos tantum postulari posse, qui propter Canonicum impedimentum ineligibiles sunt; Cuiusmodi esset, quoties adsumendus in Episcopum foret laicus, vel in minori aetate, aut minoribus ordinibus constitutus; non ex legitimo toro natus, vel alia ratione ab iure prohibitus ne eligibilis fiat; non quidem propter defectum naturalem, aut aliquod delictum, sed ut loquuntur Canonistae *propter Canonicum defectum*. Simili modo Episcopus, qui uni iam est alligatus Ecclesiae non potest quidem eligi pro altera, potest nihilominus postulari. Hoc autem non obtinet in Abbatibus, aliisque inferioribus Praelatis, quorum propriae Ecclesiae, aut Monasterio alligatio, spiritualis Matrimonii speciem, quemadmodum illa Episcoporum, minime exhibet; quare ipsi eligi debent, non postulari. Demum qui sui iuris non sunt, postulari iubet *Caput Si Religiosus de Elect. in 6.*

III. Vt autem valida sit postulatio fieri debet per scrutinium, & maiori, ac saniori Capituli parte. Si vero una illius pars aliquem postulaverit, & altera elegerit alium; tum postulatio electioni praefertur, si postulantium numerus numerum eligentium duplo excedat, & vicissim *Cap. Scriptum de Elect.*

IV. Postulantes praeterea debent in sua postulatione omnes exprimere Postulati defectus, alias postulatio esset sub-

ſubreptitia, & ipſi in poenam privarentur pro ea vice eligendi, aut poſtulandi iure. Quemadmodum *ſi elegerint poſtulantes, aut poſtulaverint eligentes*, ut dicitur in *Cap. unic. h. t. in 6.* quia nec veram electionem, nec poſtulationem exprimerent.

V. Poſtulatione ſuperiori iam praeſentata etſi nullum inde ius fuerit Poſtulato acquiſitum, nihilominus haud licet amplius Poſtulantibus ab ea reſilire. Et ſtatim ac eam ſuperior admiſerit verum quaeritur ius Poſtulato *Cap. Bonae memoriae 4. h. t.*

TITVLVS VI.

De auctoritate, & uſu Pallii.

I. PAllium apud Canoniſtas eſt *faſcia ex agni lana alba confecta, e collo ad pectus, & humeros per quatuor faſciolas utrinque pendentes demiſſa, cuius extremitatibus quatuor cruces ſive rubrae, ſive nigrae ſunt intextae.* Eſt vero ſpeciale ornamentum ex corpore D. Petri deſumtum conferens paſtoralis, & Archiepiſcopalis Officii plenitudinem *Cap. Significaſti 4. de Elect.* & *Cap. Niſi ſpecialis h. t.* Dicitur quidem *de Corpore D. Petri deſumtum*, vel quia conſecratum defertur ad altare D. Petri, ut inde tradatur Epiſcopis, quemadmodum cenſet Gloſſa in laudatum *Cap. Significaſti*, vel potius quia partem veluti indicat Eccleſiaſticae poteſtatis, quae de Corpore D. Petri, hoc eſt, de univerſali regimine Eccleſiae Archiepiſcopis conceditur.

II. De iure ordinario ſolis datur Patriarchis, & Archiepiſcopis. Epiſcopis vero nonniſi ex ſpeciali privilegio, ut Hoſtienſi, Papienſi, Lucenſi, Bambergenſi, Quinqu-Eccleſienſi, & Maſſano, imo nunc etiam aliis. Et quamquam olim quatuor praecipuis Patriarchis facultatem diſtribuendi pallia ſuis ſuffraganeis legimus conceſſam in VIII. Synodo CP. ſub Adriano II. & in Later. IV. confirmatam ex *Cap. 23. de Privileg.*; hodie tamen nonniſi a Rom. Pontifice obtineri poteſt, & ſub certa formula, ut tradit Gonzalez in *Cap. Ad honorem 4. h. t.*

III. Quo-

III. Quousque Pallium non obtinuerit Archiepiscopus etiam consecratus ea quidem exercere libere poterit, quae sunt iurisdictionis; at nequit ea licite administrare, quae sunt Ordinis, & officii Archiepiscopalis, ut convocare Concilium, Chrisma conficere, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & consecrare Episcopos, quemadmodum scribit Paschalis II. ad Archiepiscopum Poloniae apud Baron. an. 1102. & Ioannes VIII. ad Archiep. Arelat. quibus adstipulatur Concilium Matiscon. *Can.* VI. Imo nec Archiepiscopus nominari debet ex Innocentio III. in *Cap. Nisi specialis h. t.*

IV. Intra tres menses itaque a consecratione Pallium petere a Rom. Pontifice tenetur Archiepiscopus, quod si neglexerit commissa sibi dignitate carere debet, *Can. Quoniam Dist.* 100. Recepto tamen Pallio nec semper, nec ubique uti potest, sed certis tantum solemnitatibus, & intra propriae Provinciae fines *Cap.* 1. *&* 4. *h. t.*

V. Pallium denique ita addictum est Personae, ut alteri neque concedi, neque commodari queat, nec testamento ad Successorem transmitti; sed quisque cum suo humeris imposito, aut si extra propriam Ecclesiam decesserit, subposito capiti sepeliendus. Et ubi translatus fuerit ad aliam Ecclesiam Pallium secum deferre debet, quo non utitur, si Archiepiscopalis item ea sit, sed novum petat oportet, cum utroque humandus. Si demum illud amiserit aliud a Rom. Pontifice expostulet.

TITVLVS VII.

De Vita, & honestate Praelatorum.

I. Optimos desiderari mores in Praelato, qui Gregi sibi commisso vitae innocentia praecellere debet est omnino manifestum, cum debeat oves ipsi concreditas de omnibus instruere, & monere. Nemo autem monitoris personam recte suscipit, nisi qui actibus suis & aliorum errata condemnat, & innocentiae amorem commendat *Can. Nemo Dist.* 81.

II. Quam-

II. Quamobrem nedum criminibus ipse vacet oportet omnino, ut ad Titum scribebat Apostolus, sed abstineat quoque ab improborum commercio, & in domesticis probitatem praesertim exquirat, cum malorum consortium bonorum corrumpat mores *Can. Saepe XXVIII. q. I.*

III. Sit etiam praecipue lenis in corrigendo, quia plus obtinemus benevolentia, quam acerbitate; plus mansuetudine, quam severitate; plus charitate, quam potestate; nec magis dominari desiderans, quam subditis consulere cupiens *Can. licet Dist.* 45. Lenitatem nihilominus severitate temperet, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur *Can. Disciplina Dist. ead.*

IV. Internam vero morum compositionem per externam demonstrare debet Praelatus; iisque indumentis uti, quae praeter Ordinis, & Officii decorem, Ecclesiasticam modestiam, & mundani luxus contemptum spirent *Dist.* 41. *per totam*, & *Clem. Quoniam* 2. *h. t.*

V. Quod speciale denique Episcopi munus censetur praeter virtutes ab Apostolo requisitas in Epistola supra laudata, & in ea ad Timotheum, est tum gregem edocere, & ea quidem, quae ipse a Deo didicerat, non quae affectus suaserit humanus; tum preces pro eiusdem Gregis spirituali profectu fundere; quare & legis scientiam habeat opus est, & Orationi vacet *Can. Si quis vult Dist.* 36.

TITVLVS VIII.

De Officio Archidiaconi.

I. QVoniam Pastoralis officii latissimam curam per se omnem adimplere non possunt Episcopi, nonnulli propterea eis constituti sunt ab iure adiutores, inter quos praesertim est Archidiaconus, qui primus in Ecclesia post Episcopum, ceu Vicarius in multis illius vices gerit. Quamvis enim Ecclesiasticae Hierarchiae Ordo expostulet iuxta Mart. Ignatium epist. II. ad Smyrn. ut *Laici Diaconis*

sub-

subiiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopis, Episcopi Christo, & ipse Patri; tamen progressu temporis, Diaconis, cum praeter spirituale ministerium, rerum etiam temporalium, quae homines reddere solent potentiores, & honoratiores, cura demandaretur, haud difficile fuit proprium fastum, & arrogantiam eo deducere, ut non solum aequales Presbyteris, sed & superiores esse praesumpserint. Multomagis igitur Archidiaconi, qui Diaconis praeerant, supremam rerum Ecclesiae administrationem nacti, iurgia, & lites componentes, ac iurisdictionem sibi vindicantes *Can. 57. Laodic.*, divitiarum, quas administrabant potentia freti, ceterorumque Ecclesiae Ministrorum, quibus necessaria suppeditabant, clientela intumescentes eo insolescere coeperunt, ut nedum Archipresbyteris superiores, sed & se pares Episcopis reputarent. Eorum quidem nascentem insolentiam variis temporibus celebrata Concilia, & Summi Pontifices reprimere tentarunt, ut apparet ex pluribus Canonibus apud Grat. *Dist. 93.* at impedire minime potuerunt, quin tandem Archidiaconorum potestas longo usu comprobata ordinaria, et iuridica evaserit. Quare esto Archidiaconus sit Archipresbytero inferior ratione ordinis, ratione tamen administrationis secum iurisdictionem ferentis Archipresbytero est superior, quod iam Greg. M. aetate stabilitum reperiebatur, ut constat ex *Cap. III. h. t. pr. eod. & pr. de Off. Archipresbyteri*.

II. Varia ergo secundum diversa tempora fuit Archidiaconorum iurisdictio, & Potestas; quae tota ponderanda est ex Ecclesiae consuetudinibus, quae hac in re potiores sunt, quam ius commune *Cap. Cum olim de Consuet.* Et ipse Innocentius III. in *Cap. ad hoc 7. h. t.* incertam, dubiamque fatetur, eam tamen repetit ex *Ordine Romano*. Illud tamen sciatis oportet, quod omnia ea, quae ordinis sunt Episcopalis, nulla consuetudine acquirere potest Archidiaconus; ea vero, quae sunt auctoritatis episcopalis, seu legis Dioecesanae, vel iurisdictionis, quia haec possunt delegatione in alium transferri, nil obstat quin usu, aut privilegio acquiri ab Archidiaconis possint, *Cap. Ad hoc de Exc.*

III. Quare nisi adsit consuetudo in contrarium, vel le-

legitima praefcriptio ad Archidiaconum fpectat effe Epifcopi Vicarium, & Epifcopo impedito de triennio in triennium Dioecefim vifitare *Cap. I. h. t. Can. perlectis Dift.* 25. *&* *Trid. Sefs.* 24. *Cap.* 3. idcirco Archidiaconus dici folet Vicarius natus. Infuper ad ipfum fpectat Clericis, & Miniftris Ecclefiae quae funt facienda praecipere, Evangelium quando voluerit legere, Ecclefiafticum, & Divinum officium ordinare, & omnia Ecclefiae Cimelia cuftodire *Capp.* 2. *&* 3. *h. t.*

IV. Ad haec Archidiaconi munus eft quoque Clericorum omnium tam in urbe, quam in Paroeciis commorantium curam gerere, & fuper eorum converfatione invigilare, Ordinandos, ac praeficiendos examinare *Capp.* 1. *&* 9. *h. t.* Demum ad ipfum tanquam Epifcopi oculum pertinet omnia profpicere, corrigere, & emendare, nifi adeo ardua negotia fint, ut abfque Epifcopi praefentia terminari nequeant, *Cap.* 7. *eod.* Quinimo ad ipfius Tribunal deferri quoque debent Clericorum iurgia, & Caufae Ecclefiafticae, exceptis tamen per Tridentinum *Sefs. XXIV. Cap.* 20. Caufis Matrimonialibus, & Criminalibus, nifi alia fuerit loci confuetudo.

V. Ex expreffa tamen iuris declaratione nequit Archidiaconus fine Epifcopi mandato curam animarum committere, feu, ut alii exponunt, exercere collationem *authorizabilem* beneficiorum *Can. Nullus XVI. q.* 3. & *Cap. Cum fatis* 4. *h. t.* neque fententiam excommunicationis ferre, neque *Reverendas*, feu litteras dimifforiales tradere, neque in Monafteriis fuae Archidiaconiae iurisdictionem aliquam exercere *Capp.* 5. 8. *& ult. eod.*

TITVLVS IX.

De officio Archipresbyteri.

I. ARchipresbyter, feu, ut apud Socratem *Lib. VI. Cap.* 9. *& Novella* 123. Protopresbyter primum fonat Sacerdotum, quos primitiva Ecclefia, non folum ab annorum, fed ab morum etiam maturitate *Presbyteros* nominare confue-

ſuevit. Et quemadmodum de Archidiacono diximus, quod datur Epiſcopis, ut eorum ſublevet curam in iis, quae ad bonorum Eccleſiaſticorum Oeconomiam pertinent, & iurisdictionem contentioſi, externique fori; Ita datur eisdem Archipresbyter, qui eos praecipue ſublevet in iis, quae ſpiritualia ſunt, & ad forum internum, ordiniſque poteſtatem pertinere noſcuntur.

II. Eſt autem Archipresbyter vel Vrbanus, vel Ruralis, ſeu Foraneus. Vrbanus, qui in Civitatis Cathedrali munus ſuum exercet, quique etiam aliquando Decanus appellatur, in *Cap. Ad haec 7. de Off. Archid.* Ruralis, qui in minoribus Oppidis, vel minoribus etiam titulis extra Civitatem ſuum exequitur munus.

III. Ipſorum ergo munerum fit potiſſimum mentio in *Capp. 1. 2. 3. & 4. h. t.* generatim tamen ea recenſere poſſumus, quod videlicet ad Archipresbyterum ſpectet curam gerere, ut Sacerdotes in ſuis Ordinibus divina officia peragant cum omni timore Dei, & ſanctitate. Ipſius quoque eſt Epiſcopo abſente omnia providere; in ſolemnitatibus Miſſam celebrare, aut cui de Sacerdotibus voluerit, iubere, ut celebret; fontes benedicere; oleo infirmos ungere; publicos Poenitentes conſulto Epiſcopo conciliare, ſicuti & miniſteria diſtribuere, quando Epiſcopus ſolemniter celebrat, & ſatagere ne unquam in Sacrario deficiat Euchariſtia pro infirmis.

TITVLVS X.

De Officio Primicerii, & Sacriſtae.

I. PRimicerius eſt qui primus exiſtit in aliquo Ordine, ex Suida, & in Novella Heraclii, cui conſonat Tyrius *Lib. IV. Cap.* 8. aliique; Sic dictus quod primus in ceras, ſeu Tabulas ſit relatus. Ex quo patet hanc vocem aptari poſſe cuilibet, qui aliis praeeſt in quovis Ordine, vel miniſterio; unde paſſim apud Hiſtoricos deprehenduntur *Primicerius Aulae, Primicerius Palatii, Sacri Cubiculi &c.* & ex Impp. Gratiano, Valentiniano, Theodoſio

No-

Notariorum Primicerii Proconsulibus coaequantur, ut in *Tit. X. C. Theod.*

In praesenti tamen rubrica retenta etiam propria significatione, Primiceriatus significat specialem, antiquamque in Ecclesiis Cathedralibus dignitatem post Archidiaconatum, & Archipresbyteratum, ut in *Can. Perlectis Dist.* 25. *§. Ad Primicerium &c.* Eius officium, & munus est praeesse Diaconis, ceterisque inferioribus Ministris Scholae Cantorum, & Psallentium destinatis, quibus lectiones, & alia, quae ad Sacram Psalmodiam pertinent distribuere debet, ut praescribitur *in Ordine Romano*, de quo in *Cap. ult. h. t.* & alibi.

II. Sacrista quasi rebus Sacris Praefectus, qui etiam & Thesaurarius; ad ipsum spectat post Archidiaconum Cimeliorum, seu sacrarum rerum pretiosarum cura, & uno verbo omnium, quae in cera, & oleo pro sacro usu possidet Ecclesia *Cap. unic. h. t. Can. perlectis cit. & ff. eod.* cui consonat Ecclesia Graeca apud *Balsamonem* ad *Can.* 12. *Syn. XII. CP.* idcirco nonnunquam Cimeliarcha appellatur. Ipsius est quoque Instrumenta, & privilegia, quibus Ecclesiae iura tuentur custodire ex Inn. III. *ep.* 57. *lib. I. Reg.* Cuius pars legitur *Cap.* 20. *de Poenis*; & propterea ab eodem Pontifice *ep.* 276. *ib.* inter Dignitates Ecclesiasticas Sacrista recensetur.

TITVLVS XI.

De Officio Vicarii.

I. PRaeter Archidiaconum, & Archipresbyterum Episcopo ceu Vicarios ab iure datos, consuetudo etiam invaluit seculo praesertim XII. creandi quendam alium Vicarium, qui sub nomine Officialis venit *Cap. I. de Off. Vicarii in 6.* Et duplicis est generis, alius nempe generalis dictus, de quo hic; alius vero foraneus.

II. Vicarius itaque Generalis generale habet mandatum ad totam fere Episcopi iurisdictionem tum in foro contentioso, tum in foro poenitentiali in Civitate, & Tribu-

bunali ipsius Episcopi exercendam. Quare ad ipsum spectat Dioecesis totius Causas cognoscere *Cap. 1. h. t.* & ab eius Tribunali ad illud Episcopi appellari nequit.

II. Ab generali tamen mandato nonnulla intelliguntur excepta, cuiusmodi sunt causarum Matrimonialium cognitio; beneficiorum collatio, aut acceptatio resignationum; Concessio Dimissorialium, dum Episcopus ab Dioecesi longe non absuerit; Absolutio a casibus reservatis, aut censuris; aliaque id genus, quae peculiare postulant Episcopi mandatum ex Trident. *Sess. 24. cap. 6.*

IV. Cessat Vicarii iurisdictio defuncto, aut ad aliam Sedem translato Episcopo; & suspenditur, ipso suspenso vel excommunicato. Ad huiusmodi munus exercendum adsumi nequeunt Laici, Regulares Mendicantes, Clerici coniugati, minores xxv. annis, & Episcopi consanguinei *Can. in novam 16. q. 7. Clem. Etsi 2. h. t. Cap. 1. De Clerico coniug. & Cap. Cum in cunctis h. t.*

V. Vicarius Foraneus ab Episcopo constituitur in aliqua suae Dioecesis parte ad peculiaria quaedam negotia peragenda. Eaque exercere potest quae Episcopus illi commisit, aut consuetudine solet, ab ipsius tamen tribunali ad illud Episcopi admittitur appellatio.

VI. Praeter Vicarios praedictos sunt alii, qui vel Capitulares dicuntur, vel Apostolici. Illi per Capitulum constituuntur Sede vacante infra dies octo eligendi ex Trid. *Sess. 24. Cap. 6.* quorum ea plane, quae Capituli, iurisdictio est. Apostolici vero ab Vrbe mittuntur, ut administrent vice Episcopi, vel absentis, vel gravis criminis rei, vel necessariam aliam ob causam.

TITVLVS XII.

De Coadiutore.

I. QVia saepe contigit, ut Episcopi corporis, vel mentis infirmitate, imperitia, suscepti muneris negligentia, captivitate, aliaque iusta ratione Ecclesiae suae regimini, & animarum curae inepti reddantur, propterea ne

ne hisce in casibus Ecclesiae detrimentum aliquod patiantur, dabantur olim perpetuo, nunc vero ad tempus Coadiutores, qui Ecclesiastica munia rite valeant obire. Id vero non tantum de Episcopis, sed de inferioribus quoque Praelatis, & Clericis dignitatem aliquam obtinentibus iure cautum est. Coadiutoribus autem congrua portio ad eorum substentationem adsignanda est ex fructibus beneficii, si beneficiato quidem, & Coadiutori alendis pares sunt, vel ex aliis Ecclesiae redditibus, ut Episcopo visum fuerit *Cap. de Rectoribus 3. de Clerico aegrotante*, & Trident. *Sess. 21. de Reform. Cap. 6.*

II. Ad solum Romanum Pontificem spectat Coadiutores Episcopis adsignare, & ex Indulto Bonifacii VIII. ad Capitula quoque remotarum Provinciarum *Cap. unico de Cler. aegrot. in 6.* Ad Episcopos vero, Praelatis inferioribus, & Clericis *Capp. 3. & fin. h. t.*

III. Perpetuos Coadiutores nonnisi perraro, & causa diligenter discussa, & adprobata a solo Rom. Pontifice expostulare tenentur nedum Episcopi, sed etiam Clerici, ex Trid. *Sess. 25. cap. 7.*

TITVLVS XIII.

De Korepiscoporum sublato usu.

I. INter Episcoporum Officiales numerabantur olim Korepiscopi, qui in multis Pastoralis Officii muniis eosdem sublevabant *Can. Quamvis Dist. 68.* Verum iamdudum istorum institutio, & Ministerium ab Ecclesia sublatum est *Can. Korepiscopi Dist. ead.*

II. Hi porro suae institutionis initio non erant fortasse nisi Archipresbyteri Rurales, quibus ne fideles Oppidani quoties Episcopo indigerent itinerum incommodis plus aequo gravarentur maior collata fuit, ac Vrbanis auctoritas, cum ex Balsamone in *Can. 57. Conc. Laod.* doceamur ad ipsos spectasse etiam corrigere, minores Ordines conferre, & alia Episcopi munia in Oppidis illius Dioecesis exercere. Sed nimia auctoritate elati prae no-

minis affinitate cetera quoque Episcopalia iura usurpantes, ut *confirmare*, *Ecclesias*, *Altaria*, *&* *Virgines consecrare*, *Chrismata conficere*, *Presbyteros*, *Diaconos*, *&* *Subdiaconos consecrare*, quemadmodum discimus *ex lib. 6. Capitul. Reg. Francorum cap.* 369. in Oriente primum, postea a Leone III. ad petitionem Caroli Magni ubique terrarum fuerunt de medio sublati an. 799.

TITVLVS XIV.

De Translatione.

I. DEfinitur Translatio apud Canonistas: *Episcopi de una in aliam Ecclesiam auctoritate Superioris facta commutatio ex iusta, & legitima Causa.* In hac definitione duo praesertim sunt attendenda. I. est, quod ad translationem requiratur Superioris auctoritas. II. vero, quod nonnisi ex iusta, & legitima causa sint Translationes faciendae.

II. Ad primum quod attinet Episcoporum translationes inter causas maiores iam recensentur, quae Romanae Sedi sunt reservatae. Vnde quamvis olim Nationalium, vel Provincialium Conciliorum auctoritate nonnullae Episcoporum translationes factae fuerint; postea tamen ad solum Rom. Pontificem spectare iure cautum est; ita quod eius tantum potestate spiritualis Matrimonii vinculum possit dissolvi, uti integro hoc Titulo tradit Innocentius III. Id quoque obtinet quando Episcopus electus est, & confirmatus dumtaxat, quamvis non adhuc consecratus, *Cap. inter corporalia 2. hoc tit.* Nulli itaque neque ex Patriarchis, Primatibus, aut Archiepiscopis id tentare licet; imo neque Legatis de Latere, esto in multis Sedis Apostolicae auctoritate fungantur, *Cap. III. de offic. Legat.*

III. Qui autem Episcopi aut avaritia, aut ambitione ducti ad aliam Ecclesiam propria auctoritate se transferunt, utraque privantur in poenam, *Cap. quanto 3. h. t.* Idem quoque obtinet in translatione alterius Ecclesiasti-

sticae dignitatis Episcopatu inferioris, & beneficiorum commutatione. *Cap. cum olim 7. de rer. permut.*, licet pro his solius Episcopi, cui tales dignitates, aut beneficia subsunt, licentia requiratur, ut tradunt communiter DD. in *Can. Abbas XVIII. q. 3.*

IV. Ad secundum quod attinet nonnisi ex iusta, & legitima causa faciendae sunt Translationes, & commutationes huiusmodi; sicut enim carnale Matrimonium nonnisi iis intervenientibus dissolvi potest, ita neque spirituale *Can. Vir XI. q. 7.* & laud. *Cap. inter Corporalia*. Causae autem iustae, & legitimae ad duo Capita referuntur, Ecclesiae scilicet utilitatem, aut necessitatem, attento Ecclesiae tam universalis, quam particularis bono.

V. Per translationem vero quemadmodum amittitur omnis iurisdictio in priori Ecclesia, ita acquiritur in nova non absimili modo, ac si ad eam quis fuisset electus, confirmatus, consecratusque.

TITVLVS XV.

De Renuntiatione.

I. Renuntiatio prout ad rem praesentem definiri potest *Spontanea beneficii dimissio cum causa, & auctoritate Superioris facta*. Quare si coacta fuerit, renuntians poterit beneficium repetere, & obtinere, licet iuraverit se non repetiturum *Cap. Ad audientiam, de iis, quae vi, metusve causa fiunt*. De aliis conditionibus infra. Interim

II. Observandum est renuntiationem aut expressam, esse, aut tacitam. Dicitur quis tacite renuntiare quoties facto aliquo aut ex iuris dispositione, aut ex sui natura renuntiationem significante expoliat se beneficio, ut si Clericus in minoribus constitutus Matrimonium contrahat *Cap. I. de Cler. coniug.*; vel si alterum cum priore incompatibile suscipiat beneficium, *Cap. de multa 28. de Praebend.* vel denique si quis litteras Apostolicas habens ad aliquod beneficium, aliam personam, cui collatum sit,

ſuo etiam facto tanquam legitime in eo conſtitutam recognoſcat, ut colligitur ex *Cap.* 3. *de iis, quae fiunt a maiori parte Capituli*. Expreſſa vero renuntiatio eſt, quae vel per ſe, vel per Procuratorem expreſſis verbis, aut ſcripto fit coram legitimo Superiore.

III. Haec tamen pura, ſimplex, & abſoluta, vel conditionalis eſſe poterit. Prima eſt, quae fit ſine ullo pacto, vel conditione pure, & libere in manu Superioris, qui poterit de beneficio diſponere, ac ſi per mortem beneficiati vacaſſet. Conditionalis vero, quae fit ſub aliqua conditione, vel ut certae Perſonae beneficium conferatur, & dicitur renuntiatio in favorem; vel faciendae permutationis cauſa cum altero beneficio; vel denique ut ſibi certa quaedam ex beneficii fructibus penſio reſervetur. Huius generis quoque erant antequam per Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 7. prohiberentur illae, quae appellari conſueverunt cum *lege regreſſus*, aut *acceſſus* factae renuntiationes.

IV. Beneficiorum renuntiatio, & reſignatio olim Synonima erant; at poſtea ex ſtilo Curiae renuntiatio ſignificat puram dimiſſionem beneficii; reſignatio vero dimiſſionem in favorem alterius factam. Eiusdem Curiae ſtilus obtinuerat, ut in fronte reſignationis in favorem apponerentur haec verba: *Reſignatio in favorem*, & in corpore reſignationis haec alia: *& non alias, nec aliter, nec alio modo*. Qui tamen ſtilus aetate Gregorii XIII. mutatus eſt, ut non amplius apponantur verba illa, ſed in fronte Reſignationis eorum loco: *Reſignatio ſimplex*, quae tamen idem valent, nam Reſignans renuntiat ſimpliciter in manu Pontificis, qui habens reſpectum ad petitionem Reſignatarii adnexam Renuntiationi reſignantis, illi beneficium confert, & ita quidem, ut ſi alteri conferretur, non teneret reſignatio; quia licet non appoſita, ſemper tamen in reſignatione ſubintelliguntur verba illa, *& non alias, nec aliter, nec alio modo*.

V. Illud autem intereſt abſolutam inter, & conditionatam renuntiationem, quod per illam ſtatim ac facta eſt, & Superioris conſenſus acceſſerit Beneficiatus amittit omne ius, quod habebat *Cap.* 3. 6. 12. *h. t.* attamen conditionata niſi adimpleta conditione ſuum habet effectum.

VI. Poſſunt in genere quicumque beneficium Eccleſia-

siasticum possident eidem renuntiare, seu illud resignare, nisi expresse iure prohibeantur. Prohibentur autem primo promovendi ad quascumque Praelaturas, vel dignitates ex Regula XXVI. Cancellariae Apostolicae, qua Romani Pontifices sibi reservant liberam dispositionem omnium beneficiorum, quae per eorundem promotionem vacatura sunt.

2. Resignare in favorem prohibentur pendente iudicio criminali illi, de quorum beneficiis in aliorum favorem disposuerit Rom. Pontifex ea clausula, ut si accusatus privandus iudicetur, beneficium illius cedat impetranti.

3. Renuntiare non possunt qui beneficium obtinent litigiosum, vel post ipsorum mortem uniendum Monasterio, Collegio, aut alteri dignitati, nisi in favorem collitigantium, aut illius, cui beneficii unio competit, renuntiaverint.

4. Ex Regula XVIII. Cancellariae nullius valoris sunt resignationes in favorem, sive permutationis causa factae ab infirmo, vel etiam sano beneficiato, si is intra xx. dies moriatur; & quamvis nova collatio ex vi huius resignationis facta fuisset, adhuc beneficium vacat *per obitum*. Eiusmodi regulae ratio opponitur fraudi Resignantium in damnum Ordinarii Collatoris, aut habentium a Pontifice gratias expectativas super beneficio proxime vacaturo.

5. Renuntiare prohibentur suo beneficio, qui titulo illius ad Sacros Ordines sunt promoti; vel si aliunde non habeant, unde honeste vivant, ex Constitutione Pii V. quae incipit *Quanta*.

6. Demum, praeter eos omnes, qui ipso iure privati sunt beneficio, ut intrusi, simoniace promoti, & similes, sua beneficia nec simpliciter, nec in favorem resignare possunt furiosi, & mente capti ex defectu rationis; uti nec minores XIV. annis, qui ratione aetatis apti non censentur ad disponendum de rebus suis, *Cap. fin. de iudiciis in 6.*

VII. In eius vero superioris manu facienda est renuntiatio, ad quem spectat confirmatio, vel institutio, seu beneficii collatio. Verum si sermo est de Episcopatuum, vel Abbatiarum immediatae Romanae Sedi subiectarum renuntiatione, haec nonnisi Rom. Pontifici facienda

est, *Cap. Litteras* 1. *h. t.* & *Cap. Dilecti* 15. *eod.* At si agatur de aliarum dignitatum, & beneficiorum resignatione, etiam coram Episcopo fieri poterit modo sit pura, & libera; Nam conditionales, & praesertim in favorem soli Romano Pontifici reservantur per Bullam Pii V. quae incipit: *Antea Ecclesia*. Dixi praesertim in favorem quoniam resignationes ex causa permutationis, dummodo in his nulla Simoniacae labis suspicio interveniat, fieri possunt coram Episcopo, cui potestas est, utilitate, aut necessitate exigente, Ecclesiasticas Personas de uno ad alterum beneficium transferendi *Cap. Quaesitum* 5. *de Rer. Permut.*

VIII. Poterit etiam Episcopus recipere Resignationem illius, qui ante resignationem supplex expostulaverit, ut sibi certam super beneficio pensionem constituat, quae illi iusta de causa est concedenda, praesertim si decrepitus fuerit resignans, & aliunde commode substentari nequeat. Resignatio tamen simpliciter facienda videtur, ne fiat permutatio rei spiritualis cum temporali, beneficii scilicet cum fructibus eiusdem, quae simoniam saperet, praesertim interveniente pactione.

IX. Causae demum iustae, ac legitimae petendi ab Superiore licentiam renuntiandi enumerantur ab Innocentio III. in *Cap. Nisi cum pridem* 10. *h. t.* primo scilicet conscientia criminis, non cuiuscumque, sed eius tantum, quod etiam peracta paenitentia Ordinis, & Officii executionem impediat. II. Debilitas corporis, quae inhabilitatem ad munus pastorale omnino inducit. III. Defectus scientiae, illius praesertim, quae ad spiritualium administrationem est maxime necessaria. 4. Malitia Plebis, si talis fuerit, ut Episcopo conciliari nullatenus valeat. *Can. Nullus invitis Dist.* 6. V. Grave scandalum, si praesertim fuerit eiusmodi, ut nonnisi Episcopi discessu sedari queat. VI. demum Irregularitas Personae, puta ob Bigamiam, vel ob defectum natalium, vel corporis.

X. Quoties fieri contigerit renuntiatio, fiat in scriptis oportet, & verbis expressis concepta, cui resignans vel per se, vel per suum Procuratorem ad id specialiter constitutum praebere debet consensum aut in Cancellaria, vel Camera Apostolica, aut in Curia Episcopali, respective sci-

ſcilicet, prout vel coram Pontifice, vel coram Epiſcopo renuntiatio fiat; Et ad fraudes vitandas ex Conſtitutione Gregorii XIII. quae incipit: *Humano vix iudicio*, publicanda erit, vel intra ſex menſes, ſi de beneficio citra montes fiat renuntiatio coram Pontifice; vel intra menſes novem, ſi ultra montes beneficium exiſtat, a die renuntiationis; Cum vero renuntiatio fit coram Epiſcopo ſemper intra trium menſium ſpatium facienda erit eius publicatio ex eadem Bulla. Ab hac regula tamen excipiuntur beneficia Conſiſtorialia, quae in Romana Curia conferuntur, ut Epiſcopatus, & ſimiles dignitates.

XI. Sciendum denique quod renuntiatione peracta, & per Superiorem admiſſa, non eſt amplius eam revocandi locus iure communi, at revocantes Curia Romana admittit, & audit, ut dicunt Doctores. Si quis autem Religionem ingrediatur, quod dimiſit, beneficium repetere nequit, etſi in probatione Monachatum abiecerit. Sed ſi ad beneficium, quod reſignavit, iterum quis eligatur, poteſt illud adſumere, licet etiam iurans promiſerit ſe non amplius repetiturum.

TITVLVS XVI.

De Depoſitione, ſeu Degradatione.

I. NOn tantum per Translationem, & Renuntiationem diſſolvitur ſpiritualis Matrimonii vinculum, ſed etiam per depoſitionem, ſeu degradationem *Cap. Inter corporalia de Translat.* Illis itaque breviter explicatis, pauca de iſta modo ſunt dicenda.

II. Eſt igitur depoſitio, ſeu degradatio, *Clerici per grave delictum a proprio gradu deiectio.* Quare haec differt a ſuſpenſione, quod nedum ſola ordinis, & officii executio interdicatur, & iuriſdictionis uſus; ſed omnis quoque titulus, ſolo remanente Ordinis caractere, per depoſitionem auferatur; ita quod ſine nova collatione, & titulo nequeat depoſitus ad officium, vel beneficium redire.

III. Duplex distinguitur degradatio, verbalis scilicet, quae nonnisi verbis legitimi iudicis sententiam proferentis absolvitur; & actualis, seu solemnis, qua Clericus solemniter spoliatur vestibus sacris, & singula ordinis, in quo erat constitutus insignia ab eo auferuntur, cuius exauctorationis formam, & seriem describit Bonifacius VIII. in *Cap. 2. de Poenis in 6.* Quod si Iudici seculari tradendus sit degradatus, apud illum intercedat Ecclesiasticus Iudex, ut citra mortis, aut mutilationis periculum puniatur, quemadmodum dicitur in Pontificali Romano.

IV. Crimina vero, ob quae Clericus degradatus Iudici seculari puniendus traditur, sunt haeresis, nisi corrigatur, eamque abiuret *Cap. Ad abolendam 9. de Haereticis*; Falsificatio litterae Apostolicae *Cap. Ad falsariorum 7. de crimine falsi*; Calumnia insidiae, aut contumeliae in proprium Episcopum. XI. *q. I. Can. Si quis.* In reliquis vero delictis requiritur incorrigibilitas *Cap. Cum non ab homine* 10. *de Iudiciis*.

V. Olim Episcoporum depositio per XII. Episcopos, Sacerdotum per sex, Diaconorum vero per tres Episcopos peragebatur; hodie tamen cum Episcoporum depositio inter causas maiores numeretur, executioni non mandatur nisi ipsius Romani Pontificis auctoritate, vel speciali commissione ex laudato *Cap. inter corporalia*, & Trident. *Sess.* 24. *Cap. 5. de Reform.* ubi etiam *Sess. 13. cap. 4. de Sacerdotum, & Clericorum degradatione* decernitur, ut solus Episcopus proprius eam exequi possit, accitis, si commode fieri potest, Abbatibus mitratis suae Dioecesis.

VI. Degradatus si ausu temerario commissum sibi dudum ministerium exercere praesumserit per sententiam excommunicationis est omnino expellendus, *Cap. Si quis de Clerico excommunicato*.



TI-

TITULUS XVII.

De Sacerdotibus in inferiori gradu, & Clericis in Sacris, vel minoribus dumtaxat constitutis, eorumque variis Officiis.

I. SAcerdotes in inferiori gradu constituti sunt simplices Presbyteri, quibus iure divino sunt superiores Episcopi. Presbyteri quidem secundum nominis ethymologiam aetatis nomen est, & seniorem significat; prout tamen hic accipitur nomen est officii. Propria Presbyterorum officia sunt Eucharistiae consecratio, aliorumque praeterquam Ordinis, & Confirmationis, Sacramentorum dispensatio, & Ecclesiae sub Episcoporum directione regimen.

II. In Sacris tantum constituti, sunt Diaconi, & Subdiaconi. Illorum munera, sive in iure Canonico, sive in Pontificali Romano recensita, sunt sacrificanti Sacerdoti panem, & vinum ministrare; Evangelium in Missarum solemniis legere; Populum docere, ubi id facere iussi fuerint; baptizare solemniter ex commissione, & absente Presbytero Eucharistiam in casu necessitatis ministrare. Subdiaconorum vero munera sunt vasa sacra ad sacrificium disponere; panem, vinum, & aquam praeparare; post immissum a Diacono vinum, in Calicem aquam infundere; & Epistolam cum manipulo intra Missam solemnem legere.

III. In Minoribus denique constituti, dicuntur primo Accolyti, quorum officium est Cereos accendere, Ceroferarium deferre, & Urceolos in Altaris ministerio Subdiacono porrigere. II. Lectores, ad quos spectat recitare alta voce lectiones, & prophetias, quae tum in Missa, tum in officio Matutino decantari, aut legi solent, & fidei rudimenta pueros edocere, si Parochus commiserit. III. Exorcistae, qui ad hoc specialiter ordinati sunt, ut Daemones fugent. IV. Ostiarii, qui ex officio Templorum fores aperire, & claudere debent, campanas pul-

sa-

ſare, ut ad divina officia Populum advocent, aliaque his ſimilia ad Templi cuſtodiam exercere.

TITVLVS XVIII.

De Praebendis, & aliis Beneficiis.

I. CVm Eccleſiaſticae Perſonae propriis ſtipendiis militare non debeant, ideo obtinuit, ut dignitatibus, atque officiis Eccleſiaſticis bona aliqua adnecterentur, de quorum proventu Perſonae in dignitate conſtitutae, vel Eccleſiaſticis deputatae Miniſteriis alerentur. Iſtorum vero fructuum percipiendorum ius Praebenda, ſeu Beneficium appellari conſuevit.

II. Quapropter optime definitur omne beneficium: *Ius ſpirituali miniſterio adnexum percipiendi redditus Eccleſiaſticos ex Canonica inſtitutione in perpetuum*. Dicitur primo *ius ſpirituali miniſterio adnexum*, quia beneficia propter ſpirituale officium conceduntur, *Cap. fin. de Reſcript. in 6.* II. *Percipiendi redditus Eccleſiaſticos*, quia ſine proventu beneficium non datur, ad differentiam Canonicae, quae ſimpliciter accepta non importat, niſi ſedem in Choro, & vocem in Capitulo, *Capp. 9. & 19. h. t.* Dicitur III. ex *Canonica inſtitutione*, quia ſine ea nullum erit legitimum beneficium, nullus legitimus poſſeſſionis titulus, cum iuxta praefatam regulam iuris in 6. Beneficium Eccleſiaſticum non poſſit licite ſine inſtitutione Canonica obtineri. Dicitur denique *in perpetuum*, quia ad totam Beneficiati vitam confertur.

III. Eccleſiaſticorum beneficiorum multiplex genus eſt. Eorum enim alia maiora ſunt, quia aliquam ex maioribus dignitatem beneficiato conferunt, uti Papatum, Epiſcopatum, Abbatiam, &c. Alia vero minora, propter oppoſitam rationem.

IV. Alia etiam ſunt, quae Dignitatem, alia, quae Perſonam, & alia, quae Officium dumtaxat habent adnexum. Primi generis praeeminentiam ſimul, & iurisdictionem important, ut Epiſcopatus, & inferiores Praelaturae. Secun-

cundi generis praeeminentiam, & non iurisdictionem, ut Cantoratus, & Primiceriatus. Tertii generis demum rerum Ecclesiae administrationem, sed absque ulla praeeminentia, aut iurisdictione, ut Officium Sacristae, Custodis, Thesaurarii, & similium.

V. Quaedam etiam sunt, quae curam animarum habent adnexam, & qui ea obtinuit, omnia praestare potest, quae fidelium sibi commissorum saluti expedire cognoverit, ut Sacramenta administrare, mores corrigere, &c. De his loquuntur Innocentius III. in *Cap. 14. de act. & qualit. Ordin.* & *Trid. Sess. 23. Cap. I. de Reform.* Si autem haec beneficia curata forum etiam contentiosum habeant adnexum, tunc Beneficiatus ea quoque exercere poterit, quae sunt iurisdictionis, ut suspendere, excommunicare, &c.

VI. Quaedam vero beneficia omnino simplicia sunt, quorum meminit Gregorius IX. *Cap. fin. h. t.* Ad huiusmodi beneficiorum classem amandantur Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, saltem in favorabilibus a DD. Canonistis, non ita tamen in odiosis tum propter Canonicatus eminentiam, tum etiam quod ipsis dignitatibus comparantur in *Cap. Statutum de Rescript. in 6.* Beneficiis simplicibus accensentur quoque Cappellaniae tam in Ecclesiis Cathedralibus, quam Collegiatis; imo etiam in particularibus sacellis, & Oratoriis fundatae.

VII. Rursus Beneficia sunt vel secularia, quia ita fundata sunt, aut titulo praescriptionis a Clericis secularibus possidentur; vel Regularia, quia ex sui institutione, aut ex sui natura, sive etiam ex titulo praescriptionis per Regulares administrari debent.

Circa huiusmodi beneficia adnotetis velim. I. Communem esse apud Canonistas regulam: Omne Beneficium praesumendum esse ex primaeva sui institutione seculare, nisi probetur regulare. II. Quodlibet Beneficium ex sui institutione sive regulare, sive seculare posse ex titulo praescriptionis evadere aut seculare, aut regulare; & vicissim *Cap. 5. de Praebend. in 6.* Quod si vera beneficii conditio non probetur, sufficit, quod fuerit ultimo possessum per secularem, ad hoc ut seculari debeatur, quod si probaretur possessio hinc-

in-

inde, eo in casu status ultimus est attendendus, ut notat Rebuffus *Prax. ben. par. 1.*

Denique ex communi etiam Canonistarum regula Secularia secularibus, Regularia regularibus concedenda esse beneficia.

VIII. Dividi quoque solent beneficia, ut alia manualia dicantur, quia ad solum Superioris nutum conceduntur, & auferuntur, ut Vicariatus temporarii, & haec proprie beneficia non sunt. Alia vero dicuntur non manualia, quia semel data nonnisi causis ab iure probatis auferuntur, ut sunt Vicariatus perpetui, qui propterea cum beneficiis curatis confunduntur.

IX. Alia demum beneficia sunt Electiva, alia Collativa, alia Patronata. Primi generis vocantur quae per electionem conferuntur, ut Episcopatus, Abbatia, Praepositura, &c. Collativa per liberam Superioris collationem obtinentur; Patronata vero ad praesentationem, vel nominationem Patroni ab eodem Superiore conceduntur.

X. Maiora beneficia erigendi uni Romano Pontifici est potestas, sicuti & novas dignitates in Ecclesiis Collegiatis excitandi, ac regularia in secularia convertendi; Episcopo autem minorum beneficiorum creandorum. In erigendis vero beneficiis requiritur I. locus eorundem qualitati congruus. II. Legitima causa. III. Consensus eorum, quorum interest erectio. IV. Congrua dos unde minister commode alatur. Erecta subiiciuntur Episcopo loci, nisi aut eximantur, aut Summo Pontifici devoveantur.

XI. Pensio super beneficium, quae imponitur, nonnisi ex legitima causa imponi debet, cavendumque ne supra necessaria alimenta oneretur beneficiatus. Potest Episcopus quoque eam imponere, licet illius transferendae, aut ultra pensionati vitam perpetuandae solius sit Summi Pontificis. Non confertur pensio nisi prima saltem tonsura initiatis, nec absque obligatione adminus recitandi quotidie Officium Beatae Virginis ex Constitutione Pii V. quae incipit *Ex proximo*. Vetitum est autem onerare pensionibus Ecclesias, quae supra mille, aut Parochias, quae supra centum ducatorum summam annuam non reddunt ex Trident. *Sess. 24. Cap. 13. de Reform.* Sicut nec ultra dimi-

diam fructuum beneficii partem, *Cap. de Monachis*, *Cap. Vacante*, *Cap. Cum causam de Praebend.* & Rebuff. *in Prax. benef. tit. de reserv. n. 19.*

TITVLVS XIX.

De Collationibus.

I. Inter varia beneficiorum genera quaedam collativa esse diximus, quaedam vero patronata; de his speciatim agemus, cum hodie collatio, & nominatio in beneficiorum dispensatione praecipuum fortassis obtineant locum, licet nomina hac in re ignota prorsus veteribus, cum nulla olim esset ordinatio sine ministerio, nec ministerium sine beneficio.

II. Collatio itaque proprie dicta definitur communiter: *Adsignatio, seu concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem.* Dividitur autem in liberam, & non liberam. Prior dicitur, quae fit solo iure Collatoris absque restrictione ad aliquam personam ratione iuris alteri competentis; & haec venit proprio Collationis nomine. Posterior autem est, quae fit alicui determinatae Personae ratione iuris alteri competentis, quia Collator non habet libertatem conferendi cui ipse voluerit. Vnde Collatio non libera dicitur, v. g. si restringatur ad praesentatum a Patrono, aut nominatum ab Vniversitate, vel ad permutatarium ratione permutationis admissae; & haec Collatio vocari solet Institutio, de qua titulo sequenti.

III. Collatio libera, & proprie dicta aequivalet electioni simul & confirmationi, quia per ipsam acceptatam etiam ante adeptam possessionem acquiritur ius in rem, *Cap. 3. de Praeb. in 6.* quatenus beneficium vere acquiritur, vel titulus confertur. Et de hac Collatione, quae aliquando etiam Institutio minus proprie appellatur, intelligitur Regula I. Iuris in 6. de qua in titulo praecedenti locuti sumus.

IV. Attenta beneficiorum institutione, eorum Collatio non nisi ad Locorum Ordinarios attinet. Estque regu-

la

la communi Canonistarum calculo probata apud *Card. De Luca Tom. I. Summ. Benef.*: Primaevo iure omnia beneficia quandocumque, & quomodocumque vacantia ad Ordinarii Collationem pertinent. Verum per novam paulatim inductam disciplinam beneficia quamplurima, praesertim postquam eorum Collatio ab Ordinatione fuit separata, ab aliis praeter Episcopos conferuntur; modo ergo spectat vel ad Ordinarium Collatorem, vel ad Romanum Pontificem, & aliquando etiam ad ipsius Legatum.

V. Ordinarius Collator est, quem aut consuetudo adprobavit, aut iuris designavit auctoritas. Vnde patet quod consuetudine fieri potuerit, ut non solum ad Episcopos, sed etiam ad Capitula, ad Regulares, & ad ipsos Seculares spectare poterit beneficiorum collatio ex indulto, & privilegio Apostolico. Quare hac in re, aliisque ad beneficiorum provisionem pertinentibus, ut optime docent Canonistae, attendenda maxime est Ecclesiarum consuetudo, quae sive ex iure communi, sive ex speciali fundatione, sive ex legitima praescriptione, aut privilegio originem trahat, servanda est, cum non agatur, nisi de disciplina, quae pro temporum, locorumve varietate, varietati subesse potest.

VI. Praeter Ordinarios Collatores, plurium beneficiorum Collationes facere consueverunt Romani Pontifices per Apostolica Rescripta, quae *ad beneficia* vocari diximus titulo *De Constitutionibus Ecclesiasticis*, idque praestabant mandando Collatoribus, ut certae Personae de beneficio providerent. Et cum rescriptum esset ad beneficium vacans, appellabatur *mandatum* simpliciter *de providendo*; si autem ad vacaturum, appellabatur *mandatum cum expectativa*; & qui rescriptum obtinuerant, *expectantes* dicebantur. De his mandatis, & expectativis, eorumque origine, & prohibito usu, alibi erit aptior dicendi locus.

VII. Iure quoque praeventionis disposuerunt aliquando Pontifices, & disponere possunt de beneficiis ad Ordinarii Collationem spectantibus. Ad evitandas tamen fraudes, quae in hoc Collationis genere ex petentium parte occurrere possunt, sancita fuit Regula XXX. Cancellariae de verosimili notitia, quod beneficium vacaverit, sine qua nullius roboris sunt Collationes per praeventionem factae.

Imo

Imo ipsi etiam Romani Pontifices ab huiusmodi sui iuris exercitio se ut plurimum abstinent, ut notat Gonzalez *ad Regulam VIII. Cancellariae*.

VIII. Peculiari etiam iure ad Rom. Pontificem spectat Beneficiorum Collatio per reservationem sibi factam; Haec tamen vel specialis est, vel generalis, quando nimirum vel aliquod beneficium in particulari, vel omnia generaliter certi generis, certique aut loci, aut regni beneficia vacatura suae dispositioni reservat sub poena nullitatis, facta Collatoribus, aut Electoribus inhibitione, ne cum vacaverint ad eorum provisionem procedant. Et quidem a pluribus seculis obtinent huius generis amplissimae reservationes, de quibus speciatim agere huius loci, & instituti non est, videri tamen possunt in *Cap. 2. de Praebend. in 6. in Extravag.* 2. 3. 4. 13. 14. inter *comunes*, nec non in *Regulis* I. II. III. & VIII., seu, ut alii numerant, IV. & IX. Cancellariae Apostolicae, quae una cum reliquis altero ab assumptionis suae die solent a Romano Pontifice renovari, & confirmari, nam suapte natura moriente Pontifice spirant, & Sede vacante libere possunt Ordinarii beneficia conferre.

IX. Possunt quoque Cardinales de Latere Legati beneficia in Provincia sibi credita vacantia iure praeventionis conferre; quemadmodum ea, quorum Collatio ad Pontificem est devoluta; imo illa etiam, quae sunt iurispatronatus Ecclesiastici, nullatenus tamen quae laicalis *Cap.* 37. *de Praebend.* 31. *eod. in 6. &* 6. *de Off. Legati*. Possunt etiam vacatura suae dispositioni reservare, dummodo reservatio non fiat pro speciali persona, nec eundem Collatorem, prima reservatione adhuc pendente, gravet secunda. Ab hac tamen reservatione excipiuntur Cathedrales Ecclesiae, Praelaturae Regulares, Praepositurae Collegiatarum Ecclesiarum, & Cathedralium Dignitates maiores post Episcopum, si electivae sunt, quas nec reservare, nec conferre ullo modo possunt. Reservationes vero ab Legatis factae finita Legatione expirant, nisi vacantia beneficia fuerint iam collata *Capp. 3. & 4. de Off. Legati in 6.*

X. Quamquam de Ordinaria Collatione in iure nulla sit certa forma statuta, videaturque iure communi attento etiam solis verbis fieri posse; hodie tamen sine litteris

ris non fit collatio, ut testatur Rebuffus *in praxi Benef. par. I. tit. Requisita ad Elect.* Harum Litterarum formulam exhibet laudatus Auctor, & habet etiam Barbosa in *Append. ad Tract. de Officio Episcopi formul. LXVII.*

XI. In laudata formula quaedam potissimum sunt adnotanda. I. quod ita exprimatur facta per Ordinarios collatio, ut appareat ex motu proprio. II. Quod exprimatur nomen praecedentis possessoris, & modus vacationis. III. Dioecesis, & Ecclesia, ubi vacaverit beneficium. IV. Quod collationi adscribantur duo saltem testes, & subscribatur nomen publici Notarii. V. Denique quod signetur in collatione annus, mensis, & dies. Quorum omnium omissio cassam, nullamque reddit collationem ex Canonistarum Sententia.

XII. Quod si ab uno, eodemque duae sint factae Collationes, neque ex data, vel aliunde appareat quae sit anterior, neutra valebit; si tamen eodem die iure praeventionis fuerit beneficium collatum a Romano Pontifice, vel eius de Latere Legato, & ab Ordinario Collatore, nec constet quae prius fuerit facta collatio, nisi alter reperiatur immissus in possessionem beneficii, collatio Pontificis praesumitur praecessisse propter ampliorem eius praerogativam *Cap. Si a Sede Apostolica 31. de Praebend.* Quod valet etiam si idem contingeret in collatione ab Episcopo facta, & eius Vicario habente ad id speciale mandatum.

XIII. Semel ac Ordinarius Collator uni contulit beneficium non potest conferre alteri. Poterit autem post notificatam ei collationem terminum competentem adsignare, intra quem nisi collationi consenserit, in collatoris ipsius libertate erit alteri, cui maluerit beneficium conferre. Quod tamen si ille, cui iam collatum fuit, consensum praebuerit post elapsum praestitutum terminum ad consentiendum, sed ante novam collationem, non poterit Ordinarius Collator de beneficio alteri disponere *Cap. 17. de Praebend. in 6.*

XIV. Circa Apostolica vero Rescripta animadvertendum occurrit. I. Quod si Rom. Pontifex mandet provideri alicui de beneficio, aut dignitate, vel personatu in genere, tale rescriptum stricte erit intelligendum; exceptis

nem-

nempe Cathedralium Dignitatibus, beneficiis curatis, imo etiam simplicibus electivis, *Capp. 4. & 16. de Praebend. in 6.* Praeterea Apostolica huiusmodi rescripta in duplici differentia esse possunt; nam vel ad petentis supplicationem conceduntur, vel motu proprio. Si priori modo ex vacantibus pluribus beneficiis quod minoris valoris est, & ubi aequalia fuerint, alterutrum pro suo libito conferre poterit Ordinarius *Cap. Si pluribus 21. de Praeb. in 6.* At vero si *motu proprio* fiat rescriptum ex pluribus quod maius, & pinguius est concedi debet, quod ubi aequalia fuerint, electionem habebit intra decem dies qui rescriptum obtinuit ex laudato mox *Cap. 24. de Praeb.*

XV. Alterum quoque inter ea discrimen est, quod rescriptum ad petitionem censeatur subreptitium, & reddatur invalidum, si in supplicatione beneficium aliquod praehabitum, utcumque minimum reticeatur; non ita si rescriptum fuerit cum clausula *motu proprio* expeditum, *Cap. Si motu 23. de Praeb. in 6.* Vbi tamen observandum clausulam illam non importare dispensationem super beneficiorum pluralitate, sed tantum operari ne rescriptum sit subreptitium. Secundum hodiernum vero morem Romanae Curiae Provisiones huiusmodi beneficiorum expediri solent aliquando in *forma gratiosa*, aliquando in forma *quia dignum*, sumptis terminis ab initialibus Bullae verbis.

XVI. Discrimen quod inter utramque formulam agnoscunt Canonistae, illud potissimum est, quod provisio in forma *quia dignum* iure merito dici posset mandatum de providendo, cum in hac remittat supplicantem ad Ordinarium, seu Executorem, ut ei de beneficio provideat, si proprio examine idoneum repererit. At provisio *in forma gratiosa* nullum requirit examen per Ordinarium faciendum, sed fit absolute per Papam, cuius vigore potest Orator immitti in beneficii possessionem; & Litterae provisionis diriguntur, ac inscribuntur Supplicanti, cui etiam titulus beneficii tribuitur, utpote qui iam per Apostolicam provisionem ipsum beneficium habere supponitur.

XVII. Quia vero istiusmodi Provisiones, nisi clausulam *motu proprio* expresse contineant, intelliguntur semper *ad petitionem* factae, *Cap. 23. de Praeb. in 6.* si in

D pe-

petentis supplicatione aliquid falsi fuerit expressum, aut aliquid veri suppressum, ratione cuius Summus Pontifex beneficium concessit, alias non concessurus, ipsa provisio tanquam subreptitia, vel obreptitia invalida erit. Quapropter exprimi debet a Supplicante proprium nomen; Dioecesis, ubi est beneficium; illius modus vacationis; qualitas, & verus valor iuxta Regulam Cancellariae. Imo exprimi etiam debet beneficium quantumvis tenue, vel exiguum ante obtentum, ut diximus ex *Cap.* 23. *de Praeb. in* 6. cum super beneficiorum pluralitate S. Canonibus opposita non praesumatur, quod Romanus Pontifex dispensare voluerit.

TITVLVS XX.

De supplenda negligentia Praelatorum.

I. PRaelatus negligens reputandus est non solum qui criminum punitionem differt, verum etiam qui intra tempus ab iure statutum de beneficiis, vel dignitatibus vacantibus non providet. Quare si ii, ad quos spectat ius electionis, vel collationis ultra sex menses a die innotescentis vacationis iuxta Lateranense III. in *Cap. Nulla de Conc. Praeb.* eligere, vel conferre distulerint, amittunt omne ius eligendi, vel praesentandi, vel conferendi *Cap. licet* 3. *h. t.* neque electio post sex menses facta substineri poterit, nisi aliquo in casu ex dispensatione *Cap. per litteras h. t.*

II. Ad rem praesentem itaque si Episcopus negligens fuerit, ius devolvetur ad Capitulum. Verum id hodie non servari monet Rebuffus loco supra laudato, at potius Episcopi negligentia ab Archiepiscopo, Archiepiscopi a Primate, si adsit, huius vero a Romano Pontifice suppleri debet.

III. Denique ab inferioribus Collatoribus ius devolvitur ad Episcopum, & ubi exempti fuerint ad Romanum Pontificem, tanquam immediatum eorum Superiorem. Vnde

de iſtorum negligentiam ſupplere poteſt Epiſcopus non propria, ſed Apoſtolica auctoritate, *Clem. un. h. t.*

TITVLVS XXI.

De Inſtitutionibus, & Iurepatronatus.

I. QVia inſtitutio ad beneficium ius patronatus ſupponit, ideo primo iuris eiusdem notionem explicandam ſuſcipio, acturus poſtea de Inſtitutionibus.

Iuſpatronatus itaque definiri ſolet: *Poteſtas praeſentandi inſtituendum ad beneficium vacans*. Et fuſius deſcribitur a Barboſa *Iur. Eccleſ. univ. Lib. III. Cap. 12. Ius honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Eccleſia, quam de Ordinarii conſenſu fundavit, vel dotavit, ſive ipſe, ſive alius, a quo cauſam habet*. Dicitur *ius honorificum* nedum propter praecedentiam, & honoratiorem in Eccleſia patronata locum Patrono debitum, ſed etiam, quia in eius honorem cedit, quod nulli, niſi praeſentatae ab ipſo Perſonae conferri queat Eccleſiaſticum beneficium, *Cap. Ex inſinuatione* 14. *de Iure Patr.* Dicitur *onerosum*, quatenus Eccleſiam patronatam in iuribus, boniſque ſuis tutari, & tanquam Advocatus defendere debet Patronus, *Cap.* 24. *eod.* imo ex Trid. *Seſs.* 2. *Cap.* 7. *de Reform.* ad eiusdem reparationem concurrere tenetur. Dicitur *utile*, quia ſi quos in fundatione ſibi reſervaverit cenſus percipiet *Cap.* 23. *eod.* & ubi ad inopiam redactus fuerit Patronus poſſet ab ipſa Eccleſia alimenta petere deductis neceſſariis ad cultum divinum, & miniſtrorum ſubſtentationem. Dicitur *alicui competens in Eccleſia*, ius ſcilicet praeſentandi perſonam idoneam in eo beneficio inſtituendam. Dicitur, *quam de Ordinarii conſenſu conſtruxit, fundavit, vel dotavit*, quatenus hoc pacto acquiritur iſtiuſmodi ius. Dicitur denique *ſive ipſe, ſive alius, a quo cauſam habet*, quatenus acquiri poteſt iuſpatronatus etiam iure haereditario, *Clem.* 2. *de iurepatr.*, donatione, *Cap. unico eod. in 6.* & venditione bonorum, quibus adnectitur; imo etiam privilegio, & praeſcriptione im-

immemorabili, sive contra Patronum, sive contra Ecclesiam liberam *Cap.* 24. *de Elect.* & *Cap.* 1. *de Praescript. in* 6.

II. Quemadmodum vero pluribus modis acquiritur iuspatronatus, ita multis deperditur. I. Per totalem Ecclesiae destructionem, aut dotis, seu reddituum amissionem. II. Si Ecclesia patronata de patroni consensu in Collegiatam, aut monasterium transmutetur, tunc enim praesentatio cessat, & succedit Electio. III. Per non usum, ut si duabus, vel pluribus vicibus patronus non praesentaverit. IV. Si Patronus beneficiatum, vel alium Ecclesiae ipsius Clericum occiderit, vel mutilaverit *Capp.* 10. & 12. *de Poenis*. V. Si Patronus evadat Haereticus, Schismaticus, vel Apostata, *Cap. fin. de Haeret.* VI. Si Patronus beneficii fructus in proprium usum convertat, aut impediat, ne ad beneficiatum perveniant ex Trid. *Sess. XXII. Cap.* 11. *de Reform.* Denique si Patronus contra Ecclesiasticas sanctiones per directam iuris venditionem, aut alio illicito modo in alium ius illud transferre tentaverit ex Trid. *Sess.* 25. *Cap.* 9. *de Ref.* his igitur omnibus modis iuspatronatus extinguitur, & Ecclesia deinceps libera evadit.

III. Iuspatronatus sic explicatum dividitur primo in *Ecclesiasticum*, *Laicale*, & *mixtum*. Primum est, quod competit Ecclesiae, Capitulo, aut Monasterio, seu eorum nomine alicui Personae etiam laicae, v. g. Abbatissae. Neque refert, quod primitus ex fundatione laici rationem habuerit, sufficit enim, quod postea, sive testamento, sive donatione, aut alio modo Ecclesiasticum evaserit.

IV. *Laicale* autem est, quod Laico, sive Clerico competit ratione proprii patrimonii, haereditatis, aliove titulo quocumque, praeterquam Ecclesiae, vel beneficii. Hinc si Clericus ex bonis propriis Ecclesiam fundaverit, construxerit, aut dotaverit, atque inde iuspatronatus acquisiverit illud laicale erit.

V. *Mixtum* denique dicitur, quod partim laicale, partim Ecclesiasticum est, ut facile contingere potest, si ex duobus Compatronis iuspatronatus laicale obtinentibus eorum alter ius suum Ecclesiae donaverit. Non idem tamen de obtinentibus Ecclesiasticum adseri potest; Nam Ecclesia, aut Monasterium iuspatronatus obtinens cum non

pos-

possit alteri Ecclesiae, aut Monasterio concedere, multominus personae laicae illud ius donare quiverit, sine consuetis saltem solemnitatibus ad rei immobilis Ecclesiasticae alienationem requisitis.

VI. Multis autem ex Capitibus differt iuspatronatus Ecclesiasticum ab laicali. I. quidem, quod patronis laicis quatuor a notitia vacationis, Ecclesiasticis vero sex conceduntur menses ad praesentandum ex *Cap. unic. de iurepatr. in 6.* II. Quod patronus laicus plures praesentare potest, ex quibus unum eligat Episcopus, non ita Ecclesiasticus, qui nonnisi unum praesentare potest, quem si Ordinarius indignum repererit, poterit pleno iure de Ecclesia vacante libere disponere, *Clement. 2. eod.* III. Quod Summus Pontifex de laicalibus huiusmodi beneficiis nullo modo disponere soleat, & Legatus de Latere haudquaquam possit.

VII. Quod vero ad mixtum attinet, si Patroni simultanee praesentaverint, in favorabilibus induet utriusque naturam; si vero sigillatim alternative pro diversis vicibus sequetur conditionem Patroni praesentantis.

VIII. Dividitur ulterius iuspatronatus in *reale, & personale*. Illud est, quod rei, fundo v. g., alicui adhaeret, & a Fundatore adscriptum est. *Personale* vero, quod alicui independenter a qualibet re competit. *Reale* cum re, cui adhaeret transit, adeoque emptor fundi, cui sit adligatum iuspatronatus, illud etiam acquirit *Cap. 13. de Iurep.* At Personale quamvis vel iure haereditatis, vel donationis in alios transferri possit, tamen cum rei non sit adnexum per solam bonorum emptionem non transit in emptorem.

IX. Qui ergo ex legitimo titulo iuspatronatus habent possunt, atque tenentur intra praefinitum tempus a notitia vacationis idoneam personam in beneficio instituendam Episcopo praesentare sub poena amittendi ius illud pro ea vice, si negligentes fuerint. Vbi notandum occurrit, non posse patronum praesentare se ipsum propter turpe ambitionis exemplum, *Cap. 26. de Iurep.* Verum si plures sint patroni, potest unus ab aliis praesentari, & in paritate votorum ceteris nominatis, seu praesentatis praeferendus erit, uti ex rationis aequalitate colligunt

Canonistae ex *Cap. Cum in iure* 33. *de Elect.* ubi idem statuitur de Compromissariis unum ex eorum numero eligentibus; imo etsi unus sit patronus per liberam, & spontaneam institutionem Episcopi, beneficium obtinere poterit, ubi preces eidem Episcopo porrexerit, ut sibi de tali beneficio provideat.

X. Si vero inter patronos de una, eademque persona praesentanda non conveniat, singuli singulas praesentare poterunt, ex quibus una ab Episcopo electa instituatur *Clem.* 2. *de Iurep.* Si vero fuerit iuspatronatus litigiosum pro tunc praesentandi ius est penes possidentem, quo succumbente, institutus non est beneficio spoliandus *Cap. Cum propter* 27. *eod.* Vbi vero nemo in possessione iuris praedicti reperiatur, praesentet ea vice Episcopus, absque tamen praeiudicio vincentis pro aliis vicibus.

XI. Cum vero Personae per Patronum, vel Patronos praesentatae institutio facienda sit a legitimo Superiore, ideo ad tituli huius complementum breviter dicendum, quis sit superior, ad quem pertinet talis institutio; pro qua re tamen,

XII. Notandum est triplicem apud Canonistas institutionem distingui solere *Collativam*, videlicet, *Authorizabilem*, & *Corporalem*. Prima est Canonica tituli concessio, de qua, ut supra vidimus, loquitur Regula I. iuris in 6. quare collatio etiam, quamvis necessaria a plerisque vocatur. Secunda idem est ac praevio examine adprobatio ad curam animarum. Tertia denique est realis immissio in possessionem beneficii per collativam institutionem obtenti. His notatis.

XIII. Dicendum Institutionem collativam pertinere ad eum, a quo facienda foret libera collatio, si beneficium patronatum non esset. Quare vel ad Episcopum, qui de iure communi ordinarius beneficiorum collator est, vel ex consuetudine, aut privilegio ad alios spectat, ad quos iisdem titulis ius liberae Collationis transire potuit Trid. *Sess. XIV. Cap.* 13. *de Reform. & Cap.* 6. *hoc tit.*

XIV. In eo tamen differunt, quod institutio non requirit speciale mandatum in Vicario Generali, quemadmodum Collatio *Cap. Ex frequentibus* 3. *h. t.* Praeterea Institutio peragi potest a Capitulo Sede vacante, etsi ad Episcopum pertineat ex *Cap. unico eod. in* 6. XV.

XV. Iustitutio autorizabilis nonnisi ab solo Episcopo obtineri potest ex *Cap. 4. de Offic. Archid.* & *Trident. Sess. VII. Cap. 13. de Reform.* Quare statuitur ibidem *Sess. XXIV. Cap. 18.* ut nemo prorsus, sive praesentatus, aut nominatus, aut electus ad curam animarum instituatur, confirmetur, aut admittatur, nisi praevio examine idoneus fuerit repertus, & ab Episcopo adprobatus.

XVI. Institutio denique corporalis, quae sequela est quasi necessaria institutionis collativae olim ad Archidiaconum ex mandato Episcopi pertinebat, nunc vero iure Decretalium inter propria Archidiaconi munera recensetur *Cap. 7. De Offic. Archid.* Verum sicut Ordinarius Collator potest per se beneficiatum immittere in possessionem, ita potest id alteri demandare. Quare obtinet in praxi, ut id fiat per aliquam Ecclesiasticam personam, praesente Notario, vel Tabellione; aut etiam per Notarium Apostolicum dumtaxat, ut notat Rebuffus *in Prax. Benef. par. 1. de Immis. in Possess.*

XVIII. Formula vero immittendi in possessionem haec est: *Ego auctoritate Domini Episcopi N. & in vim litterarum Collationis ab eo factae induco te in possessionem Beneficii N. & uuiversorum iurium, & pertinentium dicti beneficii*; tumque adhibeantur externa symbola illud significantia, ut ingressus in Ecclesiam, aspersio aquae benedictae, deosculatio Altaris maioris, adsignatio stalli in Choro, tactus Missalis, vel Antiphonarii &c. qua de re adhibitis testibus fiat tandem publicum Instrumentum.

TITVLVS XXII.

De Clericis non Residentibus.

I. CVm beneficium nonnisi propter officium concedatur; iure propterea cautum est, ut illi dumtaxat ad Ecclesiastica beneficia promoveantur, qui suis in beneficiis valeant residere, & adnexum eisdem officium per se exercere; quod secus si res processerit, & qui acceperit amittat quod contra fas accepit; & qui dederit, privabitur

tur largiendi potestate *Capp.* 3. & 4. *h. t.* Si autem qui ad residendum idonei sunt, residere absque iusta causa noluerint, & moniti, intra congruum definitum ab Superiore tempus ad propriam Ecclesiam non redierint Ecclesiasticis censuris, & beneficii privatione sunt puniendi *Capp.* 2. 8. 9. 10. & *fin. h. t.*

II. Vtcumque vero de omnibus beneficiatis iura loquantur, inter eos tamen illi iure strictiori residere tenentur, qui beneficia habent, quibus animarum cura adnectitur, quales sunt Episcopi, inferiores Praelati, & Parochi; His enim divino praecepto mandatum est gregem sibi commissum pascere, tum administratione Sacramentorum, tum verbi divini praedicatione, quod sane nisi resideant, praestare non poterunt.

III. Quare ex Trid. *Sess. VI. Cap.* 1. *de Reform.* omnes Episcopi, etiamsi Cardinalatus dignitate praefulgeant, obligantur ad personalem residentiam in sua Ecclesia, vel Dioecesi; ab qua abesse non possunt, nisi ex legitimis caussis, quales ab ipso Tridentino recensentur, nempe Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiae, aut Reipublicae utilitas. Has tamen caussas adprobare debet Romanus Pontifex, vel Metropolitanus saltem, aut eo absente antiquior suffraganeus. Quod si huic decreto contrafacientes Episcopi per sex menses ab propriis Ecclesiis absfuerint, quarta parte fructuum unius anni, quod si per alios totidem menses in absentia perseveraverint altera quarta parte pauperibus, aut Fabricae Ecclesiae applicanda, privantur. Denique contumacia crescente gravioribus Canonum poenis usque ad privationem Episcopatus, ut supra diximus, a Romano Pontifice erunt puniendi. Ipsis tamen Episcopis concedit laudatum Trid. *Sess. XXIII. Cap.* 1. ut singulis annis per duos, aut tres ad summum menses ab propria Ecclesia abesse possint impune, ex aequa tamen causa, & absque gregis detrimento, quod an ita sit, discedentium conscientiae relinquit.

IV. Quod de Episcopis statuit Tridentinum extendi debet ad alios inferiores Praelatos, & nominatim ad Parochos; quorum absentia, etsi ex causa per Episcopum probata proveniat, bimestre non excedat; nec destituta remaneat Ecclesia idoneo, approbatoque Vicario. Imo ad i-

ipsos etiam Canonicos Ecclesiarum tam Cathedralium, quam Collegiatarum pertinet idem Tridentini Decretum de residentia. Eàdem quippe *Sess. XXIV. Cap.* 12. statuitur, quod si Canonici praedicti ultra tres menses singulis annis absuerint primo anno dimidia fructuum parte priventur, secundo omnibus prorsus proventibus, ac si adhuc in pertinacia perseveraverint iuxta Canones puniantur.

V. Sunt tamen quaedam in iure expressae causae, propter quas Canonici ab residentia dispensantur. Igitur praeter recensitas supra, I. si Episcopi servitio sint deputati *Cap. Ad audientiam* 15. *h. t.* II. Si studiorum causa in celebri aliqua universitate diversentur, per quinquennium dumtaxat ad discendum, & in perpetuum ad docendum *Capp.* 4. *&* 12. *h. t. & Cap. Licet vobis* 32. *de Praebend.* III. Si periculum aliquod lethale sive morbi, sive violentiae ipsis immineat, cit. *Cap.* 15.

VI. Quamvis autem qui ex legitima causa non adsunt fructus beneficiales non amittant, amittunt tamen distributiones quotidianas, quae subministrantur in dies iis, qui Ecclesiam colunt, & divinis officiis intersunt ex *Cap. unico h. t. in* 6. & laudata Trid. *Sess. XXIV. cap.* 12. Ab eo tamen Bonifacii VIII. & Trid. Decreto excipiuntur I. Infirmi, Senes, & Valetudinarii. II. Iniuste excommunicati, iniuste in carceribus detenti, vel in exilium acti. III. Qui ob evidentem Ecclesiae utilitatem non intersunt. IV. Demum ex speciali privilegio habentur pro interessentibus Inquisitores, & Inquisitionis Tribunali inservientes ex *Bulla* Innocentii VIII. & Pauli III Auditores Sacrae Rom. Rotae ex *Bulla* Clementis VIII. Apostolicae Camerae Collectores, Subcollectores, Advocati, Fiscales, Notarii, & alii inservientes in causis spoliorum ex *Bulla* Sixti V. sub anno 1590.



TI-

TITVLVS XXIII.

De Regularibus, & Monachis.

I. QVamvis Regularis nomen proprie, & rigorose acceptum magis late pateat, quam Monachi, quod iis dumtaxat Regularibus convenit, qui ex regulari Instituto vitae contemplativae in Claustris agendae addicti sunt; usus tamen iam obtinuit, ut ipsorum nomina saepissime confundantur, & infavorabilibus Monachorum nomine Religiosi quicumque veniant. Pro hac re autem illud maxime nunc observandum, quod licet omnes fere textus in Decreto, & Decretalibus ad Regulares spectantes loquantur de Monachis, qui tunc temporis soli propemodum erant; nihilotamenminus ad Regularium Ordines postea institutos in iis saltem, quae essentialia vocantur, debent extendi. Quemadmodum enim Monachi appellabantur illi, qui procul secularium hominum commercio solitarii inserviebant Deo; ita modo Religiosi, seu Regulares dicuntur omnes, qui speciali sunt Religioni addicti.

II. Est autem *Religio* prout ad rem nostram facit. *Fidelium ad Christianae vitae, & Charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuae castitatis, paupertatis, & obedientiae stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia probatus.* Ex qua definitione satis apparet in omnibus fere, & praesertim in essentialibus eadem servari iura tam pro Monachis, quam pro ceteris Regularibus. Quapropter de omnibus sub eodem Monachorum nomine commode possumus sermonem instituere.

III. Monachi itaque fiunt aut *Parentum oblatione*, aut *propria professione*. Oblatione Parentum, cum Pater impuberes Monasterio obfert filios, ut in eo degentes Deo inserviant; Cuius Oblationis mentio passim in iure nostro occurrit, & ceremonia describitur *Cap. 69. Regulae S. Benedicti*. Quamquam vero per hanc solam Parentum Oblationem ita essent Monachatui adstricti impuberes, ut neque post pubertatem possent resilire, *XX. q. 1. Can.* 3. tamen propter scandala, quae ex praepropera illa Oblatione orie-

riebantur Patres non improbarunt quidem has oblationes; sed statuerunt, ut effectum stabilem non sortirentur, nisi filii facti iam puberes oblationi consensissent *Cap. Significatum 11. & Cap. Cum firmus 17. h. t.* Quo iure attento tria secuntur. I. Impuberes posse legitime in Monasterio recipi. II. Per liberam oblationem parentes amittere patriam potestatem in Filios, quos Monasterio obtulerunt. III. Impuberibus oblatis permittendum non esse, ut regrediantur ad seculum ante annos pubertatis, bene vero post pubertatem adeptam, si ad seculum redire voluerint potius, quam in statu Monastico perseverare.

IV. Quod si impuberes praeter Parentum voluntatem cucullum induerint, id Parentes irritare possunt; modo tamen intra annum apud proprium Episcopum, aut competentem alium Iudicem reclamaverint, *XX. q. 2. Can. 1. & Cap. 2. h. t.* Si vero post pubertatem, mares scilicet annorum quatuordecim, puellae autem duodecim, Monasterium elegerint, non erit parentibus prohibendi potestas. Haec quidem iure veteri inspecto; modo enim impuberes ex peculiaribus Decretis sine speciali dispensatione ad habitum monasticum recipi non possunt.

V. Secundus, quo quis Monachus fieri potest, modus est propria professio per emissionem trium essentialium votorum, promissionemque Deo in adprobata Religione inserviendi. Haec autem professio duplex est, expressa nimirum, & tacita. Prima est cum vovens vota sua voce, vel scripto, vel actu sufficienter enuntiat, & legitimus Praelatus ei consentit; aut cum professionem illegitime factam, postea coram legitimo Superiore ratam se habere fateatur. Circa hanc votorum emissionem servanda est cuiuslibet Religionis formula.

VI. Ante Tridentinum ad validam votorum emissionem non erat necessaria habitus susceptio, sed sola professio sufficiebat *Cap. 13. h. t.* & quamvis exquireretur annuae probationis tempus ex *Cap. 16. eod.* nihilominus ante probationem facta non irritabatur; cum probatio detur Monacho, aut Monasterio in favorem, cui possunt partes ex communi consensu renuntiare.

VII. Alexander IV. tamen irritas postea declaravit huiusmodi votorum emissiones in Ordinibus Praedicatorum,

& Mi-

& Minorum factas *Cap. Non solum* 2. *h. t. in* 6. Quam declarationem extendit Bonifacius VIII. ad omnes Mendicantes tantum, *Cap.* 3. *eod.* Nihilque in aliis innovari iussit, nisi quod si quis expressam emiserit professionem in eadem Religione perseverare teneatur, si vero tacitam, teneatur tantum in genere alicui Religioni adscribi, non illi speciatim, cuius ingressum petierat. Tridentinum tandem *Sess. XXV. Cap.* 15. *de Regul.* Alexandri IV. Constitutionem ad omnes prorsus Religiones extendit; statuitque praeterea ad professionis validitatem XVI. aetatis annum expletum requiri; per quod decretum tamen non improbavit Ordinum quorumdam dispositiones maiorem aetatem requirentes *Cap.* 16. *ibid.*

VIII. Tacita professio emittebatur antiquitus dum quis adsumendo habitum professorum illum triduo coram Superiore, & aliis gestabat, & eorumdem actibus se immiscebat *Cap. Ad nostram* 8. *h. t.* & *Cap. Constitutionem* 3. *eod. in* 6. si tamen aptae esset aetatis, & sciens, volensque id faceret. Haec quidem tacita professio de iure communi etiam ante probationis annum post pubertatem emissa valida erat; modo autem per Trid. Decretum ad eam quoque aetas XVI. annorum requiritur, & integra annuae probationis periodus *Cap.* 19. *ib.* Ex hoc Tridentini Capite tacitam professionem emittere censetur ille, qui sciens invalidam emisisse professionem, & potens reclamare, per integrum quinquennium nunquam reclamavit; quia professioni tacite consensisse censetur.

IX. Quamvis de iure communi invalide professus sine scandalo posset ante Iudicis sententiam habitum dimittere; nec ad Monasterium redire compelleretur, nisi causa discussa, atque decisa, ut notant Canonistae in *Cap.* 1. *de his, quae vi, metusve causa fiunt*, declaravit tamen idem Trid. ut nulli id liceat; quod si fecerit reclamans contra professionem non audiatur, sed cogatur ad Monasterium redire, & veluti apostata puniatur. Is itaque in habitu & Monasterio perseverans coram legitimo Superiore causas irritae professionis adlegare debet, illiusque sententiam expectare.

X. Ad Professionis validitatem praeter aetatem a Tridentino statutam, & praevium non interruptum proba-

bationis annum, requiritur etiam quod sit spontanea, & libera, adeoque immunis a metu, qui sit cadens in constantem virum; quod fiat in Religione Apostolicae Sedi adprobata; & quod Monasterii, seu Capituli Monachorum duae ex tribus partibus, aut maior saltem pars consenserint, nisi ex consuetudine, aut privilegio ad solum Ordinis Superiorem spectet voventium receptio.

XI. Praeterea profiteri valide non potest qui sui iuris non est. Hinc servus etiam si professus fuerit restitui debet Domino, ubi illum intra triennium repetat, quo elapso censetur liber per tacitam dimissionem *XVII.q.2.Can.* 3. Propterea, quod non est sui iuris Episcopus quoque sine Romani Pontificis consensu profiteri non potest *Cap. Licet* 18. *h. t.* & *Cap. Nisi cum pridem de renuntiat.* Pariter qui mentis compotes non sunt, ut amentes, furiosi, & similes *Cap.* 15. *h. t.* & denique qui legitimum Matrimonium contraxerunt, idque fuerit consumatum, nisi consentiente, & ad votum castitatis transeunte altero coniuge; at non item si fuerit tantum ratum matrimonium, quia etiam altero invito poterit Religionem ingredi, & qui in seculo remanserit post illius professionem liber erit ad novas quoque nuptias transire.

XII. Videretur hic agendi locus de origine, progressu, & multiplicitate Ordinum Religiosorum; Verum quia extra rem nostram vagari nimis cogeremur, si vel summis labiis materiem attingere vellem, ideo ad celeberrimos nostri aevi Scriptores rem ex instituto persequentes vos remittere satius esse duxi, et primo Institutionum libro finem imponere.



IN-

INSTITVTIONVM
CANONICARVM
LIBER SECVNDVS.



TITVLVS I.

De rerum Eccleſiaſticarum diviſione.

I. IVs Canonicum univerſum circa *Perſonas*, *Res*, atque *Actiones* verſari diximus. Poſtquam ergo de Perſonis egimus, de rebus tractandum aggredior.

II. Eccleſiaſticae quidem res aut *ſpirituales* ſunt, aut *temporales*; illae animarum ſalutem immediate reſpiciunt; hae vero Eccleſiae ipſius uſui, & Miniſtrorum deputantur ſubſtentationi. Inter ſpirituales quaedam etiam ſunt quae ſenſibus ſubiiciuntur, & *corporeae* appellantur, cuiuſmodi ſunt *Sacramenta*, & aliae res *Sacrae*, *Sanctae*, & *Religioſae*. Quaedam vero ſenſibus non ſubiiciuntur, ſed tantum percipiuntur animo, & *incorporeae* vocantur, ut *virtutes*, & *dona Dei*; necnon etiam, quae in iure aliquo conſiſtunt, quemadmodum *praeſentandi* ad beneficia, eadem *conferendi*, fructus eccleſiaſticos *percipiendi* &c.

III. In hoc ſecundo Libro de corporeis huiuſmodi rebus agendum ſuſcipimus; De reliquis vel iam egimus in primo, vel agemus infra ſuis in locis. Quare ſit



TITVLVS II.

De Sacramentis.

I. SAcramenti vox quamquam varias tum apud profanos, cum apud Ecclesiasticos Scriptores significationes habeat, nihilominus iam pridem a Patribus, & hodie passim a Canonistis sumitur ad significandum proprie dictum Sacramentum; quod *Dist.* 2. *De Consecr. Can.* 32. sub nomine S. Augustini definitur: *Invisibilis gratiae visibilis forma*; licet ea definitio apud Augustinum expressis verbis non legatur, ut ad laudatum Canonem monent Romani Correctores.

Dicitur quidem *visibilis forma*, hoc est sensibilis, seu sensibile aliquod signum simul & causa gratiae invisibilis, quam Sacramentum novae legis digne sumentibus confert ad differentiam Sacramentorum veteris legis, quae significabant gratiam, sed non conferebant.

Addi posset *ex divina institutione* eo, quod novae legis Sacramenta non alium habeant, nec habere possint Auctorem, nisi Deum, cum nullus homo formae visibili, seu exteriori, & sensibili signo gratiam coniungere queat.

II. Prima Sacramentorum divisio ab Gratiano ad *Can.* 39. *I. q.* 1. & ad *Cap.* 8. *de Transact.* ab Canonistis tradi solita, ea est, ut alia *necessaria* dicantur, alia *voluntaria*. Necessaria quinque numerantur, Baptismus, scilicet, Confirmatio, Poenitentia, Eucharistia, Extrema unctio; quae omnia, quia ad particularem cuiusque profectum instituta, sine interitu salutis aeternae praetermitti ex contemptu non possunt. Voluntaria ex opposito appellantur, quae sine salutis dispendio pro cuiusque arbitrio recipi, vel omitti possunt, quemadmodum Ordo sacer, & Matrimonium, quia ad Ecclesiae totius profectum, & subsidium principaliter spectant.

Dividuntur etiam Sacramenta, ut alia considerentur ordinata *ad ingressum* in Ecclesiam, ut Baptismus; alia *ad progressum* ut Confirmatio, Eucharistia, & Poenitentia; quae etiam *ad regressum* inservire poterit, ut cum per i-

psam

psam Ecclesiae restituuntur qui ab ea per haeresim, vel schisma, aut alio modo erant separati; Alia demum *ad egressum*, veluti Extrema Vnctio, & Eucharistia dum infirmis per modum Viatici conceditur.

Dividuntur denique a Canonistis Sacramenta in ea, quae *Characterem imprimunt*, & quae *non imprimunt*, ut docemur ex Trid. *Sess. VII. de Sacramentis in genere Can.* 9. Primi generis sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, & propterea reiterari non possunt; bene vero secundi generis reliqua.

III. Invisibilis gratiae visibiles formas, seu signa plura ad nostram sanctificationem instituisse Christum Dominum, & illa septem omnino esse apud Catholicos recepta, in dubium revocari non potest tum ex certa Ecclesiae traditione, tum ex definitione Tridentini loco laudato *Can.* 1. unumquodque autem eorum duobus constat, *Elemento* scilicet, & *Verbo*. Elementi nomine venit quidquid suo visibili natura invisibilem gratiam designat, & continet; ac sub alio vocabulo *materia* Sacramenti dici solet. Verba autem sunt, quae Sacramenti vim, & efficaciam exprimunt, & solent Sacramenti *forma* vocari.

IV. Haec autem Sacramenti materia est vel *remota*, vel *proxima*; prima est res ipsa sensibilis, ex qua Sacramentum conficitur, aqua v. g. in ordine ad Baptismum; proxima vero est applicatio materiae remotae subiecto per Ministrum facta, v. g. in baptismate ablutio, qua Cathecumeno applicatur aqua.

V. Forma etiam Sacramentorum dividi solet in *absolutam*, & *conditionatam*. Absoluta enuntiat simpliciter Sacramentalem actionem, ut: *Ego te baptizo &c.* Conditionata eandem actionem sub conditione enuntiat, ut v. g. *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

VI. Praeter elementum, & verbum ad Sacramenti confectionem requiritur quoque Minister, cuius actione forma applicetur materiae. Sunt autem Sacramentorum Ministri, vel ordinarii, vel extraordinarii: Ordinarii ex officio, & accepta in Ordinatione potestate iuxta legem a Christo praescriptam Sacramenta conficiunt, seu dispensant. Extraordinarii praeter legem ordinariam ad illud munus adsumuntur exercendum.

VI

Vt vero Minister valide, & licite Sacramenta conficiat, requiritur I. intentio faciendi, quod facit Ecclesia ex Concilio Flor. in *Instruct. ad Armenos*, & Trident. *Sess. VII. Can.* 1. quae debet esse vel *actualis*, cum praesenti nimirum mentis attentione; vel saltem *virtualis*, cum ea nimirum mentis attentione, quae orta sit ex actuali mox praecedenti volitione. Requiritur II. ipsius Ministri sanctitas, fides, & legitimum Ministerii exercitium. Verum licet quammaxime deceat Sacramentorum Ministros fideles, & inculpatos esse; tamen si mali fuerint, & a communione Catholica seiuncti, valide nihilominus Sacramenta conficiunt, saltem quae ad sui valorem iurisdictione non indigent, *I. q. I. Can.* 77. *& seqq.* Qui enim baptizat, qui absolvit, & in singulis Sacramentis operatur Dominus est; Ministri vero Ecclesiae praeter nudum Ministerium nihil sibi possunt vindicare, cum non propriam personam referant, sed eius, qui Sacramenta instituit *Dist.* 4. *de Consecr. Can.* 26. *aliisque pluribus* tum *ibi*, tum *I. q.* 1. unde eorum immunditia Sacramenta non polluit, aut ipsorum evacuat efficaciam, ut dicitur *Can.* 87. *eiusdem caus. & quaest.*

VII. Omnium Sacramentorum effectus est *gratia*, ut ex data Dist. apparet. Pro qua re notetis velim I. Gratiam aliam esse *actualem*, aliam *habitualem*. Actualis est transiens quidam *motus voluntatis*, & *illustratio intellectus*, *quibus anima ad pietatis opus excitatur*. Habitualis vero est *forma quaedam animae permanenter inhaerens*, *ipsam sanctificans*, *Deoque gratam reddens*. Animadvertendum quoque II. est habitualem gratiam aliam esse *primam*, aliam esse *secundam*. Prima dicitur, quae aliam in subiecto non supponit, ut si homini iacenti in peccato mortali conferatur; Secunda est, quae aliam praesupponit in subiecto, ut si homini iusto detur. Observandum III. quandam gratiam esse omnibus Sacramentis communem, quandam vero cuique specialem. Primi generis est habitualis, seu sanctificans; specialis vero est ius quoddam ad auxilia actualia, quae necessaria sunt ad finem cuiusque Sacramenti consequendum.

Omnia itaque Sacramenta gratiam sanctificantem producunt vel primam, vel secundam. Primam per se con-

ferunt Baptismus, & Poenitentia, quia homini in lethali peccato iacenti ministrantur, unde Sacramenta *mortuorum* dicuntur. Dixi *per se*, nam per accidens possunt secundam gratiam producere, si nimirum subiectum iam foret in gratia. Cetera Sacramenta per se gratiam secundam producunt, & propterea *vivorum* Sacramenta adpellantur. Per accidens autem primam conferre possunt, ut si impius non habens peccati conscientiam, & liber ab eius affectu bona fide, & inculpabiliter Sacramenta vivorum acciperet.

Praeter gratiam sanctificantem singula Sacramenta peculiarem gratiam producunt convenientem fini, ad quem ordinantur. De speciali characteris effectu, quem producunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo Sacer, satis supra locuti sumus. Haec de Sacramentis in genere pro praesenti instituto sufficere possunt; ut autem de singulis quae explicanda sunt aliqua dicamus, sit

TITVLVS III.

De Sacramento Baptismi, & eius effectu.

I. PRimum inter Sacramenta locum obtinet Baptismus; Est enim, ut a Bonifacio VIII. appellatur in *Cap. 2. de Cognat. spirit. in 6.* fundamentum, & ianua reliquorum. Definiri potest: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Dicitur *Sacramentum regenerationis*, quia est signum sensibile divinitus institutum, ut det vitam spiritualem per modum generationis, ad differentiam Sacramenti Poenitentiae, quod eam dat per modum suscitationis a mortuis. Dicitur per *aquam in verbo*, quia aqua, & verbum sunt duae res sensibiles, per quas Deus in Baptismate hominem regenerat.

II. Materia huius Sacramenti *remota* quidem est aqua naturalis tantum exclusive ad quemlibet alium liquorem, qui naturalis aquae nomine non venit, *Cap. 5. hoc tit.* & Trid. *Sess. VII. de Sacram. in gen. Can. 2. Proxima* vero est actualis ablutio baptizandi, quae ad validita-

tatem sufficiens est sive per *aspersionem* fiat, sive per *infusionem*, sive per *immersionem*.

III. Forma sunt verba a Christo instituta: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ablutio autem, & formae prolatio debent esse actus contemporanei, & alterutro deficiente invalidum est Sacramentum, *cit. cap. 5.*

IV. Ordinarius huius Sacramenti Minister est omnis Sacerdos cuiuslibet gradus; eiusque Ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum, nisi Episcopo, vel Presbytero procul absentibus, & ex necessitate; qua urgente laicis quoque, & feminis id permittitur *Dist. 4. De Cons. Can. 19.*

Extraordinarius autem Minister est omnis homo ratione praeditus etiam non Orthodoxus, Gentilis, vel Iudaeus, qui dummodo requisitam habeat intentionem, & debitam adhibeat formam, ac materiam valide baptizat *Can. 21. 23. 24. cit. Dist.* & passim alibi; unde sic baptizatos rebaptizare non licet *Can. 108. eiusd. Dist.* Nemo tamen quavis reperiatur in necessitate potest seipsum valide baptizare quemadmodum nemo seipsum generare potest ex Innocentio III. in *Cap. 4. hoc tit.*

V. Quae hactenus diximus ad Sacramenti huius essentiam, & Ministrum spectant, quibus aliquid de Baptismi *subiecto* est subdendum. Omnes itaque homines, qui rationis usu fruuntur cuiuscumque sint sexus, & religionis, huius Sacramenti capaces esse extra controversiam ponit haec Christi Domini sententia: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Illi, de quibus dubitari posset, sunt infantes, amentes, furiosi, aliique, qui carent rationis usu. Verum de Infantibus fide Catholica certum est, traditurque diserte ab Innocentio III. in *Cap. Maiores 3. h. t.* & tandem expresse definitum est a Trid. *Sess. VII. Can. 13.* Qui tamen infantes baptizari non possunt quousque in utero matris fuerint; quia qui natus secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest; Nec enim dici regeneratio illius poterit, quem generatio non praecesserit, *Can. Qui in maternis 115. Dist. 4. de Consecr.*

Quoad amentes, furiosos, aegrotantes, & similes; qui aut rationis usum non habent, aut suam non possunt manifestare voluntatem, distinguendum est; Aut enim tales nati sunt, & infantibus comparantur, in quibus Ecclesiae fides, & offerentium intentio sufficit; aut post rationis usum facti, & subdistinguere oportet: vel isti antequam in eum statum inciderent, dum rationis usu fruebantur baptismum petierunt, aut desiderarunt, vel non; si primum, possunt valide baptizari, censetur enim in ipsis perseverare baptismi propositum; secus vero si baptismum non petierint, vel exoptarint, ac multo magis si contrariam exhibuerint voluntatem. Ita Innocentius III. in laudato *Cap. Maiores §. Ita quaeritur*.

Ex hac Innocentii III. doctrina apparet ad validitatem Baptismatis in Adultis requiri veram, & sinceram intentionem, veramque libertatem. Vt enim ibidem dicit, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti; ubi tamen observandum est I. in subiecto Baptismi non requiri actualem, nec virtualem, sed habitualem sufficere intentionem, ut patet ex dictis de Baptismo amentium, furiosorum, & similium. II. Valide conferri Baptismum adulto ex metu consentienti, dummodo exterius non contradicat *Can. de Iudaeis 5. Dist. 45.* ipse enim, ut inquit Innocentius in laudato *Cap. Maiores*, tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam legis Christianae. Praeterea in adultis non quidem ad valide, sed ad licite recipiendum baptismum requiruntur fides, spes & charitas, ex Trid. *Sess. VI. cap. 6.*

VII. Quod attinet ad alteram Tituli partem, Baptismatis scilicet *effectum*; is duplex est. *Character* nempe, & *Gratia sanctificans*. Character est *signum spirituale indelebiliter in anima impressum, quo Christianus ab Infideli distinguitur, & capax redditur aliorum Sacramentorum*. Per gratiam vero sanctificantem deletur Originale peccatum in parvulis, & actualia etiam, si quae sunt, in adultis, & baptizatus ad vitam aeternam regeneratur. Non tamen ex quo quis baptizatur, statim etiam in eo omnis vetus infirmitas per originale peccatum contracta absumitur. Nam quamvis in baptismate plena fiat peccatorum re-

remissio tum quoad culpam, tum quoad aeternam poenam, remanent tamen temporales quaedam poenae in hac vita, seu *poenalitates*, ut concupiscentia, infirmitas corporis, moriendi necessitas, similesque miseriae, a quibus nonnisi in alia vita continget plena liberatio *Can.* 2. *&* 127. *Dist.* 4. *De Consecr.* praeter gratiam sanctificantem producit Baptismus aliam specialem consistentem in *iure ad auxilia*, quibus baptizatus Christiani hominis officia exequi possit.

VIII. Praeter Baptismum aquae, de quo hucusque locuti sumus, mentionem facit nostrum Canonicum ius Baptismi *Flaminis*, & *Sanguinis*. Primum est ardens Baptismi desiderium coniunctum cum fide, & cordis per charitatem conversione ad Deum; quod sane votum ubi baptismus Fluminis haberi non possit, illius defectum supplet *Can.* 34. *Dist.* 4. *de Consecr. & Cap.* 8. *de Presbytero non baptiz.* Baptismus vero sanguinis est martyrium, quo quis pro Christi fide, morte tolerata, proprio sanguine abluitur, antequam prae angustia temporis baptismo aquae fuerit regeneratus. Hoc baptismi genere hominem integre, & perfecte regenerari non est dubium *Can.* 34. laud. & *Can.* 37. eadem.

TITVLVS IV.

De Sacramento Chrismatis.

I. OMnes Fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum recipere debent, ut plene Christiani inveniantur *Can.* 1. *dist.* 5. *de Cons.* Postquam ergo de Baptismo egimus, de Chrismatis Sacramento verba sunt nobis facienda, quia per hoc ea Christianae fidei plenitudo, & Spiritus Sancti abundantia confertur.

Quare satis recte definitur: *Sacramentum novae Legis, quo praeter characterem, & gratiam sanctificantem datur ius ad auxilia specialia, quae necessaria sunt, ut quis fidem intrepide confiteatur.* Hoc Sacramentum etiam

Confirmatio passim appellatur, quia eius ope in fide accepta per baptismum, confirmamur.

II. Eius materiam duo constituunt, *manuum* scilicet *impositio*, atque *Chrismatis in fronte unctio*. De prima fit expressa mentio *Actor. VIII.* & in iure nostro *Can.* 1. 4. 5. aliisque *Dist.* 5. *de Consecr.* ubi per impositionem manus Episcopi, Spiritum Sanctum dari adseritur, & propterea hoc Sacramentum *impositionis manus* etiam appellatur. De altera vero fidem faciunt veteres Patres, & Concilia eidem illi unctioni adscribendo gratiae sanctificantis productionem. Et Innocentius III. *Cap. unic. de S. unctione* eam tanquam huius Sacramenti materiam agnoscit.

Chrisma autem quo frons confirmandi inungitur, conficitur ex oleo olivarum, & balsamo admixtis, consacraturque ab Episcopo.

III. Forma pariter constituitur per verba utramque materiam concomitantia, per *Orationem* scilicet, qua Episcopus extensis versus confirmandos manibus immediate ante unctionem invocat in eos Spiritum Sanctum, & per ea, quae dum ungit pronunciat: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

IV. Ex effectibus, quos confirmatio producit, gratia sanctificans, & Character communes sunt aliis quoque Sacramentis; specialis vero illius est ius ad auxilia specialia ad intrepidam fidei confessionem, & pugnam contra invisibiles hostes, cum quibus in hac vita praeliandum est; ut enim dicitur *Can.* 2. *Dist.* 2. *de Conf.* Baptismus per se salvat nos in pace beati seculi recipiendos, confirmatio vero instruit ad agones huius mundi substinendos, & quemadmodum per baptismum abluimur, ita per confirmationem roboramur.

V. Denique Sacramenti huius Ordinarius Minister est solus Episcopus *Can.* 4. *Dist.* 5. *De Conf. & Cap. unic. de S. Unctione*. Extraordinarius vero ex delegatione Summi Pontificis simplex Sacerdos, nec alius inferioris Ordinis, ita Covarruvias *lib. I. Cap.* 1. *variar.* & alii.

TITULUS V.

De Poenitentiis, & Remissionibus.

I. MUltiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi, & Confirmationis gratiam, sed etiam per Poenitentiae medicinam spes vitae repararetur aeternae; ut qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, ut habetur *Can.* 49. *Dist. I. de Poenit.* Quare Patres, & Concilia poenitentiam appellarunt *secundam post naufragium tabulam*, & *Baptismum alterum*, sed *laboriosum*.

Poenitentia sumpta prout constituit unum ex septem Ecclesiae Sacramentis recte describitur *Can.* 40. *ib.* ut ea sit: *Quae in corde contritionem, confessionem in ore, & totam in Opere humilitatem operatur;* Quae sane descriptio bene consonat definitioni apud Theologos passim receptae: *Poenitentia est Sacramentum, quo lapsis post baptismum contritis, confessis, & satisfacere proponentibus absolutio a peccatis impenditur*. Dicitur *Sacramentum*, quia est signum sensibile a Christo institutum ad gratiam sanctificantem producendam, ut definivit Trid. *Sess. XIV. Can.* I. Dicitur *Lapsis post baptismum*, quia hi sunt subiectum, cui istiusmodi Sacramentum est applicabile. Dicitur *contritis, confessis, & satisfacere proponentibus*, quia tales requiruntur conditiones ad eius valorem, & effectum. Dicitur demum *impenditur absolutio*, quia ex eo potissimum Poenitentia ab aliis Sacramentis discriminatur, quod licet omnia gratiam sanctificantem producant; sola tamen poenitentia id praestat per *modum actus iudicialis*.

II. Huius Sacramenti materia sunt actus poenitentis, contritio scilicet, confessio, & satisfactio, quibus tamquam partibus constat poenitentia, ut docet Trid. *Sess. XIV. Cap.* 3.

Contritio autem nihil est aliud, quam *animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*, ex eod. Trid. *ib. Cap.* 4. Ut vero haec mate-

ria sit huius Sacramenti, requiritur I. ut sit *vera*, hoc est, ex corde producatur, & procedat. II. ut sit *supernaturalis*, cum disponat ad iustificationem, quod nulli profecto naturali actui convenire potest. III. ut sit *summa appretiative*, hoc est Poenitens sit ita dispositus, ut pro nullo commutabili bono amplius peccare velit. Denique ut sit *universalis*, se extendat nimirum ad omnia peccata mortalia, quae post diligens examen, memoriae occurrunt; quaeque omnia secundum numerum, & speciem Poenitens confiteri tenetur.

Dividitur contritio in *perfectam*, & *imperfectam*. Illa est, quae concipitur ex motivo charitatis Dei in gradu intenso, seu quae coniunctam habet perfectam charitatem. Imperfecta contritio subdividitur, ut alia sit, quae oritur quidem ex motivo charitatis Dei super omnia, sed minores habet, ac prima, charitatis gradus; unde ratione motivi perfectissima est, imperfecta tamen ratione intensionis. Altera vero est imperfecta etiam ratione motivi, quatenus concepta tantum ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennae metu; de qua an sufficiat ad gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam dubitatur apud Theologos.

III. Confessio Sacramentalis, quae est altera huius Sacramenti materia definitur: *Accusatio propriorum peccatorum Sacerdoti facta, ut eorum remissio virtute Clavium obtineatur*. Confessionis huius materia duplex est, altera *necessaria*, altera vero *libera*, ut habetur ex Tridentino *Sess. XIV. cap.* 5. Necessaria, sunt peccata lethalia omnia post baptismum commissa, quae Deo inimicos, filiosque irae homines reddunt. Libera sunt peccata venialia, quae hominem a Dei gratia non excludunt. Haec sane licet recte, & utiliter in confessione aperiantur, taceri tamen citra culpam possunt, multisque aliis expiari remediis, ut ex eod. Trid. *ib.*

IV. Tertia denique Poenitentiae pars saltem integralis est satisfactio, seu iniuncti a Sacerdote operis executio, quae nihil est aliud, quam quaedam *iniuriae Deo illatae compensatio*. Nullus enim sibi debitae gravioris paenae accipit veniam, nisi qualemcumque etsi longe minorem quam debeat solverit poenam *Can.* 42. *Dist. I. de*

Poe-

Poenit. Nec sufficit a praeteritis malis recedere, nisi etiam de iis, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiam *Can. 53. ib.*

V. Forma Sacramenti Poenitentiae verba sunt, quae a Sacerdote auditis poenitentium peccatis, proferuntur, scilicet: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; in qua quidem forma certissimum est verba illa, *absolvo te* esse de essentia; Reliqua vero non ita.

VI. De huius Sacramenti effectu non est opus ut speciatim differamus; satis enim ex dictis patet esse *peccatorum remissionem*, & *gratiam sanctificantem*, qua homo, qui per peccatum ab iustitia, & amicitia Dei deciderat, iustificatur, & Deo restituitur; necnon ius etiam ad auxilia specialia, quibus homo peccata, & eorum occasiones sibi caveat, Deoque pro admissis satisfaciat.

VII. Superest ad complementum primae huius Tituli partis, ut aliquid de Ministro dicamus. Hic itaque ut declarat Synodus Tridentina *Sess. XIV. Cap. 6.* solus Episcopus, & Sacerdos esse potest, ad quos dumtaxat diriguntur illa Christi Domini verba *Io. XX. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Praeterea cum absolutio sit actus iudicialis, & fungi iudicis munere nequeat, qui iurisdictione caret; ideo simplices Sacerdotes licet Ordinis potestatem habeant, tamen nisi habeant etiam aut ordinariam, aut saltem delegatam, iurisdictionem, nec licite, nec valide extra casum necessitatis ex Trid. *Sess. XIV. Cap. 7.* poenitentes absolvere possunt. Imo qui generaliter ad fidelium Confessiones audiendas adprobati sunt, nihil possunt in reservatis citra necessitatem, mortis v. g. imminentis periculum *Cap. 2. de Poenit. in 6.* & *Trid. loco mox laudato*.

VIII. Quod spectat ad alteram Tituli partem, scilicet ad remissiones, brevissime dico operis remissionem aut stricte fieri per eius *condonationem*, aut latius per *commutationem*. Per commutationem fit cum Sacerdos non imponit Poenitenti poenas sancitas in Canonibus poenitentialibus, quorum Catalogus ad calcem Gratianaei Decreti habetur, sed illam in aliam commutat leviorem, aut publicam, aut secretam, prout ei visum fuerit expedire iuxta Trid. *Sess. XXIV. Cap. 8. de Remiss.* Re-

Remissio vero per condonationem fit, quando poenitens liberatur absolute ab onere agendi poenitentiam temporalem, quae illi iuxta receptum Ecclesiae morem pro peccatis vel imposita est, vel esset imponenda, quae remissio appellatur *indulgentia*, *Cap. 4. h. t. & 3. eod. in 6.*

Indulgentiae autem, quas posse Ecclesiam concedere hic suppono, aliae sunt *totales*, seu *plenariae*, aliae *partiales*. Partiales relaxant partem operis iniuncti, vel iniungendi, ut si concedatur indulgentia septem annorum, sensus est remitti poenitentiam, quae alias per illud temporis spatium esset peragenda.

Plenaria vero omnem poenam peccatis debitam relaxat. Plenarias indulgentias solus Romanus Pontifex concedere potest *Extrav. 2. int. Comm. h. t.* Partiales, etiam Episcopi, quibus Innocentius III. *Cap. 14. h. t.* indulsit ut in Dedicatione Basilicae indulgentiam unius anni, & in Anniversario eiusdem, quadraginta dierum possent elargiri.

TITVLVS VI.

De Eucharistia.

1. EVcharistia vox graeca est, quae latine *gratiarum actionem* significat. Ita vero hoc Sacramentum appellatur, quod Christus illud instituens, gratias egerit Patri. Definitur: *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem fidelium nutritionem a Christo Domino institutum.* Et recte quidem, quia *species panis, & vini*, sub quibus continetur verum Corpus, & Sanguis Christi, sunt signum sensibile, quo gratia sanctificans significatur, & producitur. Datur vero, & accipitur hoc Sacramentum per modum *alimenti*, quia quod praestant corporibus alimenta, id animae quoque Eucharistia.

Quod igitur in ea Sacramenti rationem habet non sunt solae species panis, & vini, sed *Christi Corpus, & Sanguis*, non quidem in se absolute, sed quatenus *sub dictis spe-*

speciebus continentur, alias quippe non haberetur signum sensibile. Hino iure Tridentinum *Sess. XIII. Cap.* 5. huic Sacramento *latriae* cultus adseruit, qui solis speciebus non convenit.

II. Huius Sacramenti duplex est materia, quemadmodum, & forma. Materia sunt *panis triticeus*, & *vinum ex uvis expressum*, cui modica admisceri debet aqua, non quidem necessitate Sacramenti, sed praecepti dumtaxat *Can.* 1. 2. 3. 4. aliisque *Dist.* 2. *de Cons.*

Panis sive fermentatus sit, sive azimus sufficiens est; & apta Sacramenti materia: quia tamen unusquisque tenetur disciplinam Ecclesiae suae custodire, ideo Sacerdos qui in latina Ecclesia fermentato uteretur graviter peccaret, ut ex *Cap. fin. de celeb. Missa* concludunt Canonistae.

Ad utriusque materiae consecrationem requiritur I., ut sit praesens Sacerdoti, & quasi prae manibus. II. Vt non sit corrupta, quia si corruptio eiusmodi fuerit, ut immutata substantialiter appareat materia, invalida etiam erit consecratio. III. Vt sit ad usum alimenti; unde farinae conspersio, vel quae vulgo *pasta* dicitur, sicut uvarum grana, & vinum conglaciatum apta materia non sunt ad consecrationem; & nisi urgente necessitate mustum licite consecrari potest *Can.* 7. *Dist.* 2. *De Consecr.*

III. Forma vero sunt verba Salvatoris, quibus in ultima coena Sacramentum hoc confecit, scilicet respective ad panem: *Hoc est enim Corpus meum*; respective ad vinum haec alia: *Hic est Calix Sanguinis mei &c.* Animadvertatis hic obiter velim Eucharistiae Sacramentum duplex non esse, quamvis duplici constet materia, & forma, quia ad multiplicitatem Sacramenti non sufficit multiplicitas partium, sed finium quoque requiritur specie diversorum; in Eucharistia autem unus finis est, spiritualis nempe refectio.

Actio, qua duplex haec forma duplici praefatae materiei applicatur, dicitur *consecratio*; quod nomen hic denotat substantiae panis, & vini totalem conversionem in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi *Can.* 55. *Dist.* 2. & Trid. *Sess. XIII. Cap.* 4. Quae conversio ab Ecclesia Catholica *Transubstantiatio* adpellatur.

IV. Quae huc usque diximus Eucharistiam explicant, qua-

quatenus est Sacramentum, quia vero est etiam sacrificium, ideo sub hac ratione de ea nonnulla sunt vobis dicenda. Pro quo.

Notandum est sacrificium stricte sumptum definiri: *Oblationem externam soli Deo factam, qua in testimonium illius supremi dominii a legitimo Ministro res aliqua sensibilis ritu mystico consecratur, atque immutatur*. Dicitur *Oblatio externa*, ex actione Ministri offerentis. Dicitur *soli Deo facta*, quia cum fiat in protestationem supremi dominii, nonnisi soli Deo convenit. Dicitur *a legitimo Ministro*, quia non ad omnes pertinet sacrificium offerre, sed tantum ad eos, qui ad id muneris a Deo sunt destinati. Dicitur *rei sensibilis*, quia cum homines sint corporei ad publicas actiones sensibilibus rebus utuntur. Dicitur *ritu mystico consecratur*, quatenus ex profana fit sacra. Dicitur etiam *atque mutatur*, hoc est aut physicam, aut mysticam saltem patitur transmutationem.

Haec autem omnia in Missae sacrificio habentur. In eo enim ab legitimo Ministro offertur Deo in protestationem eius supremi dominii hostia sensibilis, nempe Christus Dominus sub speciebus panis, & vini. Praeterea hostia oblata transmutatur, quia quamvis sub utraque specie totus Christus sit realiter, in consecratione tamen ex *vi verborum* sub speciebus panis venit solum Corpus, & sub speciebus vini solus Sanguis; unde mystica habetur separatio sanguinis a corpore, & consequenter mystica hostiae oblatae mactatio; imo in adsumptione etiam consumatio.

Hoc sacrificium, quod tantum praestat veteris Legis sacrificiis, quantum res ipsa excellentior habetur sua figura, est simul *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *Propitiatorium*, & *Impetratorium*. Latreuticum, quia per eius celebrationem latriae cultus Deo tribuitur. Eucharisticum, quia in eo pro acceptis per Christum beneficiis gratias Deo agimus. Propitiatorium, quia per Eucharistiae Sacrificium Deus nobis placatur; unde pro peccatis, poenis, & satisfactionibus simul pro vivis, ac defunctis nondum plane purgatis rite illud offertur. Impetratorium denique, quia per ipsum Deus movetur ad conferenda nobis actualia auxilia, quibus ad continuam contra vitia pugnam instruamur.

V. Quod

V. Quod attinet ad Eucharistiae conficiendae Ministrum, is non alius esse potest, quam solus Sacerdos ex Trid. *Sess. XXII. Cap. 1.* & *Can. 2.* Cui soli de iure divino incruentum hoc sacrificium offerre licet, & competit. Hinc quamvis in ordine ad dispensationem Eucharistiae alii possint adsumi extraordinarii Ministri, & praesertim Diaconi iuxta *Can.* 18. *Dist.* 93. tamen Eucharistiam conficere quocumque in casu nemo potest, nisi solus Sacerdos.

VI. Subiectum vero huius Sacramenti sunt omnes fideles, qui cum ad annos discretionis pervenerint ex Conc. Lateranensi sub Innocentio III. relato in *Cap. Omnis utriusque sexus 12. de Poenit. & Remiss.* & ex Trid. *Sess. XIII. Can.* 9. saltem singulis annis in Paschate, quemadmodum & proprio Sacerdoti confiteri tenentur. Nullus itaque fidelis ab huius Sacramenti perceptione regulariter loquendo est arcendus.

Dixi *regulariter &c.* nam sunt aliqui, quibus Eucharistia non conceditur; & I. quidem infantibus iuxta praesentem Latinae Ecclesiae disciplinam, quamvis olim statim post collatum baptisma ipsa etiam Eucharistia porrigeretur, nulla tamen id exigente necessitate ex Trid. *Sess. XXI. cap.* 4. II. Furiosis, amentibus, energumenis, ceterisque rationis usu destitutis, nisi aliquibus temporis intervallis, cum videlicet ratione utentes debita cum reverentia illam accipere possunt. III. Ex *Can.* 95. *Dist.* 2. *de Cons.* Scenicis, histrionibus, & huius generis aliis, qui iure etiam civili infames reputantur *leg.* 2. *ff. de iis qui notantur infamia*, nisi a suo eiusmodi exercitio destiterint. His quoque adcenseri debent publici Peccatores, uti usurarii, concubinarii, & similes. Sanctionis huius ratio adsignatur in laudato Canone, quia Evangelicae legis pudor non permittit huiusmodi actibus indulgere.

VII. Eucharistiae denique effectus praeter ea, quae de eadem, quatenus sacrificium est, diximus, sunt gratia sanctificans *secunda*, quam per se digne sumentibus confert, indirecta peccatorum venialium remissio, & praeservatio a mortalibus, quatenus dat ius ad specialia auxilia tum ad exercendos charitatis actus, quibus venialia delentur, tum ad resistendum tentationibus ad graviora excitantibus.

VI.

Vt vero quis tanto Sacramento digne communicet, ita in omnibus dispositus esse debet, ut nullius sibi conscius sit peccati lethalis, quod, sacramentali confessione praemissa, non deleverit; idque etiam a Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, servari vult Tridentinum *Sess. XIII. cap.* 7. dummodo non desit illi copia Confessarii. Corpore etiam ita dispositus esse debet, ut extra casum necessitatis, idest infirmitatis, propter quam mortis periculum immineat, ieiunus sit a media nocte diei praecedentis, *Can.* 54. *Dist.* 2. *de Consecr.* & *Can. Nihil* 7. *q.* I.

TITVLVS VII.

De Extrema Vnctione.

I. Extrema Vnctio Sacramentum est, quod, quia exeuntibus ab hac vita datur, Canonistae *ad egressum* nominant. Estque *Sacramentum, quo graviter aegrotans certis in partibus Corporis ad peccatorum remissionem, & virium robur, oleo solemniter inungitur;* per quam exteriorem Corporis unctionem interior in anima coelestis gratiae unctio significatur, *Cap. unic. de S. Vnctione*, Trid. *Sess. XIV. Cap. I. de Extr. Vnct.* & Cathechismus *Cap.* 5. & 7. *par.* 2. *de Sacram. Vnct.*

II. Sacramenti huius materia *remota* est oleum ex olivis expressum, quod semel in anno benedicitur, seu consecratur ab Episcopo inter Missarum solemnia feria V. in Coena Domini, & *oleum infirmorum* adpellari consuevit. Oleum hoc singulis annis Parochi accipiant oportet, cum sine ipso hoc Sacramentum administrare prohibeantur; possunt tamen ei deficienti aliud non consecratum in minori portione admiscere *Cap. Quod in dubiis* 3. *De Consecr.* Materia vero *proxima* est actualis infirmi unctio; Partes vero, quae inungi debent, sunt quinque sensuum organa, oculi nempe, aures, nares, labia, manus, planta pedis, & virorum respectu, renes quoque si commode possint. Vnius etiam partis dumtaxat sufficit unctio ad validitatem, & li-

& licita est, quando omnes inungi morbi violentia non patitur.

III. Forma sunt verba a Ministro Corpus infirmi inungente prolata, scilicet: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid per visum*, vel *auditum &c. deliquisti*, ex Trid. Syn. ibidem.

IV. Minister Sacramenti Vnctionis est Episcopus, & Parochus, vel etiam simplex Sacerdos licet regularis urgente necessitate *Clem. I. de Privilegiis*.

V. Ad subiectum quod attinet, ex Eugenii IV. Decreto pro Instructione Armenorum, nonnisi infirmis de cuius morte timetur, hoc Sacramentum administrari debet; uti finis illius institutionis commendare videtur apud S. Iacobum in eius *Ep. Cathol. cap.* 5. & Trid. *loco cit. cap.* 1.

Ex praesenti Latinae Ecclesiae disciplina infantibus, & pueris etiam ex hac vita migraturis administrari non debet, cum numquam peccasse existimentur; imo neque amentibus a nativitate, aut iis, qui rationis usu gaudentes, numquam illius desiderium ostenderint cum aegrotarent ex Catech. *cap.* 19. *ib.* neque iis demum, qui Eucharistiam nondum sumpserint ex eodem Catech. Quare capite damnatis concedi nequaquam debet, nisi ex morbo, brevi morituris.

VI. Cum Characterem non imprimat hoc Sacramentum reiterari poterit, quoties infirmi post acceptam unctionem convaluerint, & iterum in aliud vitae discrimen inciderint, ex laudato *Trid. Cap.* 3.

TITVLVS VIII.

De Sacramento Ordinis.

I. POst Sacramenta, quae a Canonistis Gratianum secutis *necessaria* adpellantur, ea veniunt, quae *voluntaria* ab ipsis dici solent, Ordo scilicet, & Matrimonium. De primo hic, de alio infra a nobis agendum est.

Or-

Ordo definitur; *Sacramentum novae legis, quô potestas spiritualis confertur ad ea, quae tum ad confectionem, tum ad distributionem Eucharistiae pertinent.* Dicitur *Sacramentum*, & vere est, quia verbis & signis exterioribus constat, & gratiam sanctificantem producit, ut Patrum consensui, traditioni, & scripturae innixa Tridentina Synodus definivit *Sess. XXIII. cap. 3. de Sacram. Ordinis.* Dicitur *quo Potestas spiritualis* confertur, per quae verba exprimitur differentia Sacramenti huius ab aliis, cum nonnisi Ordo eam potestatem conferat; dicitur *ad ea quae tum ad confectionem, tum ad distributionem* &c. ad significandum, quô potestas per Ordinem collata feratur; nullus enim in particulari est Ordo, qui ad illa duo aut mediate, aut immediate perficienda non sit institutus, ut apparet ex officiis adnexis singulis Ordinibus.

Et quidem cum multiplex sit Altaris Ministerium, multiplex quoque in Ecclesia agnoscitur Ordo ex *Trid. Sess. eadem Cap. & Can. 2.* ubi septem enumerantur; quorum alii *maiores*, & *sacri* appellantur, quia proximius per eos Altari ministratur, & sunt Sacerdotium, Diaconatus, & etiam ex Ecclesiae dispositione Subdiaconatus, *Can. 4. dist. 60. & Cap. 9. de Aet. & qualit. Ordinand.* Alii *Minores*, ut Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus.

II. An autem singulis recensitis Ordinibus ratio proprie dicti Sacramenti conveniat, disputant Theologi, cum id nonnisi de uno Sacerdotio certum de fide sit ex *Trid. loc. cit.* Omnes tamen, & singuli suam propriam materiam, suamque propriam formam habent. Materia est illud per *cuius traditionem* confertur Ordo, forma vero *verba materiam concomitantia* ex Conc. Flor. in Decreto *Unionis §. Sextum Sacramentum.* Hinc quia per Sacerdotium datur Ordinato potestas in Corpus Christi verum, & in Corpus mysticum, materia est patenae cum pane, atque Calicis cum vino porrectio, & manus Episcopi impositio. Forma vero: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis*; & *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt.* Ita Diaconatus per manus impositionem, & per traditionem

nem Libri Evangeliorum perficitur; Subdiaconatus per eam Libri Epiſtolarum, & verbis materiam concomitantibus. Sic de ſingulis aliis. Nam Accolytho traditur Ceroferarium, & urceolus vacuus: Exorciſtae liber exorciſmorum; Lectori Liber Lectionum,; & Oſtiario Eccleſiae claves porriguntur, quae omnia eorum peculiare munus exprimunt, quemadmodum verba ab Ordinante prolata.

III. Ad Miniſtrum Ordinantem quod attinet, quamvis receptiſſima ſententia ſit ex commiſſione Summi Pontificis concedi poſſe ſimplici Sacerdoti, & multo magis habenti uſum pontificalium facultatem conferendi primam Tonſuram, & etiam minores Ordines; Ordinatio tamen Presbyteri ita ſpectat ad Epiſcopum, ut neque ex ipſius Pontificis diſpenſatione praeſtari a ſimplici Sacerdote poſſit. Quare Sacerdotium nonniſi ab Epiſcopo valide confertur. Vt vero etiam licite conferatur iuxta Eccleſiaſticas Sanctiones proprius ordinandi Epiſcopus ſit oportet *Diſt. 71. & 72. Cap. 12. de Temp. Ord. Can. 44. Conc. III. Cartag. Can. 24. Rom. VI.* Epiſcopus proprius de iure communi is cenſetur, in cuius Dioeceſi quis natus eſt, vel baptizatus *Can. ult. Diſt. 28.* etſi ibidem contingenter ſit natus *Cap. Cum nullus de Temp. Ord.* dummodo ibi Parentes domicilium conſtituerint, vel poſtea ipſe ſibi acquiſierit, vel beneficium obtinuerit ex Concil. Arauſic. *Can. 8. & 9. Cap. Cum nullus cit. Trid. Seſſ. XXIII. cap. 16.* Pro hac tamen re hodie obſervari omnino debent, quae ſpecialiter declaravit Innocentius XII. in ſua Bulla *Speculatores 6.* Novemb. 1694.

IV. Huius Sacramenti ſubiectum de iure divino eſt omnis homo maſculini generis, dummodo ſit baptizatus *Cap. 1. & 2. de Presbyt. non bapt.* cuiuſcumque aetatis; & conditionis *Cap. unico de Clerico per ſaltum Ord.* De iure autem Eccleſiaſtico requiritur legitima aetas unicuique Ordini a Tridentino praeſcripta, *ib. Cap. 12.* ſufficiens ſcientia *Can. 1. Diſt. 36.* & eod. Trid. *Cap. 4.* bonae vitae teſtimonium *Cap. Ex tenore 4. de Temp. Ord.* Imo ſi a Papa ad inferiores ordines fuerit promotus nequit ab alio Epiſcopo ad maiores promoveri *Cap. 12. eod.* & ſi fuerit Monachus invito proprio Abbate ordinari non debet *Cap. Ad aures eod. & Epiſt. 18. Lib. VII.* D. Gre-

gorii Magni, & apud Ant. Aug. in Epit. *tit. XVIII.*

De eodem iure Ecclesiastico exigitur competens Titulus, seu Ecclesia, cui mancipari debeat *Dist.* 71. per totam *Can. 6. Chalced.* apud Photium in Nomo-Canone *Tit.* 33. *cap.* 3. *de Praeb. & Cap. Si Episcopus eod. in 6.* Hodie tamen ex communi Canonistarum sententia ad *Cap.* 4. *de Praeb.* & ex *Can.* 6. Concilii Biterren. pro istiusmodi titulo satis est Patrimonium, quod tamen ex Trid. *Sess. XXIII. Cap.* 2. *de Reformat.* recognosci, & probari debet a proprio Episcopo, utrum congruae Ordinandi substentationi correspondeat.

Ne ergo, super his, quae in Ordinandis ius nostrum requirit, fraus locum habeat, statuitur ne Episcopus alienum subditum ordinare audeat, nisi suum fecerit per triennalem servitii familiaritatem, absque litteris dimissoriis commendatitiis, seu *reverendis Dist.* 71. *cit. Cap. Significasti de off. Arch.* & laud. Bulla *Speculatores*.

Ex Can. 10. Concilii Sardic. necessaria quoque est gradatio in Ordinum Collatione sub poena suspensionis, a qua tamen potest Episcopus dispensare, si irregularitatem per suscepti Ordinis exercitium non contraxerit Ordinatus ex Trid. *Sess. XXIII. cap.* 14. & dummodo suppleatur quod omissum fuit *Cap. unic. De Clerico per saltum prom. Can.* 1. *Dist.* 52. & *Can.* 2. *Dist.* 59. Imo certo tempore quis debet in inferiori Ordine ministrare, antequam ad altiorem promoveatur *Can. in singulis Dist.* 77. & *Can. Monachos XVI. q.* 1.

De huiusmodi interstitiis licet varia olim viguerit disciplina, hodie tamen iuxta Trid. *Sess. XXIII. Cap.* 11. minorum Ordinum interstitia Episcopi arbitrio remittuntur; Maiorum vero unius anni Ecclesiastici periodo absolvi debent, vel minori etiam tempore, si Ecclesiae necessitatem id exposcere Episcopus iudicaverit ex eod. Trid. *cap.* 13. dummodo non eodem die, vel duobus diebus eodem continuato ieiunio plures conferantur ex *Cap. Litteras* 13. *de Temp. Ord.* his tamen legibus solutus est Romanus Pontifex *Cap. Super eo eodem titulo*.

Denique requiritur ut debitis temporibus Ordines conferantur. Minores quidem singulis diebus Dominicis, aliisque festis per annum occurrentibus, & Tonsuram quali-

libet etiam die feriali conferre possunt Episcopi ; Sacros autem nonnisi in quatuor anni temporibus , Sabbato *Sancto* , & Sabbato *Sitientes Dist.* 73. *per totam* , *&* *Capp.* 3. *&* 16. *de Temp. Ord.* uti etiam *Cap.* 2. reprobatur opposita consuetudo . Ordinans Episcopus si huiusmodi tempora non attenderit a Collatione suspenditur *Cap.* 8. *eod.* Sed non ipso facto ; nam licet id statuatur in Bulla Sisti V. quae incipit , *Sanctum* , *&* *salutare* , eam tamen in iis, quibus Bullam Pii II. extendebat , ad terminos iuris revocavit Clemens VIII. in sua Constitutione , quae incipit *Romanum Pontificem* . Ipse Ordinatus vero a suspensione ipso iure incurrenda non absolvitur .

V. In praesenti Titulo ne verbum quidem peculiariter feci de Episcopatu , & Prima Tonsura ; quia licet proprias habeant materias , propriasque formas , tamen distinctos ab aliis non constituunt Ordines . Nam ille perficit dumtaxat , & extendit quodammodo Sacerdotium tribuendo potestatem confirmandi , & ordinandi . Tonsura vero est dispositio tantum ad Ordines , quatenus per ipsam Tonsuratus ab statu laicali segregatur , & adscribitur clericali , *Cap. Cum contingat de aetate* , *&* *qualit. Ordin.*

Illud unum adnotetis velim respectu praesertim Episcopatus , non esse nimirum confundendas ceremonias , quae in illius collatione exercentur cum essentialibus , quae omitti nequaquam possunt sine praeiudicio ipsius substantiae . Sic v. g. manuum impositio ad materiam , & verba illam concomitantia ad formam omnino spectant . Vnctio Sacra ad ritum , & trium Episcoporum praesentia ad decentiam . Quare si aliquid materiae aut formae omissum fuerit irrita erit Episcopi consecratio ; At si huiusmodi unctio non adhibetur satis erit si postea suppleatur *Cap. Vnico de S. Vnct.* & necessitate urgente per unum Episcopum licita quoque habebitur Episcopi ordinatio , ut notant Balzamon , & Zonaras in *Can. I. Apostolicum* .

TITVLVS IX.

De Matrimonio.

I. MAtrimonium, de quo in praesenti, & subsequentibus agemus titulis duplicem habet rationem, Contractus videlicet civilis, & Sacramenti. Ad primam rationem utique spectant & quotquot ante Evangelium contrahebantur, & quotquot contrahuntur modo apud Infideles. Quatenus ergo est Sacramentum, & apud Christianos contrahitur, consistit praesertim in viri, & mulieris maritali coniunctione exprimente unionem Christi cum Ecclesia, & definiri commode poterit: *Signum sensibile gratiae collatae mari, & feminae legitime copulatis ad individuam vitae consuetudinem perpetuo ducendam.*

De materia huius Sacramenti non convenit inter Doctores. Alii Contrahentium consensum, ipsum nempe civilem contractum; alii vero eorumdem corpora pro materia agnoscunt, & verba a Parocho prolata, vel animorum consensum pro illius forma.

Matrimonium prout in Christianorum Republica usurpatur, aliqua, veluti praeparatoria, & parerga, antecedunt, ut sunt sponsalia; aliaque comitantur, ut sunt requisita ad eius actualem celebrationem, quae si desint, aliquando illicitum, aliquando etiam invalidum faciunt Matrimonium; aliqua demum subsequuntur, vinculum scilicet indissolubile, quod ex legitimo contractu per se oritur; aut etiam divortium, quod per accidens aliquando fieri contingit post celebratum Matrimonium. De his ergo breviter acturi sumus; cum enim eorumdem plura explanari soleant *lib. 1. Instit. Civilium titulo de Iustis Nuptiis;* ideo non est cur longam hic trahamus moram repetendo quae ibi fortassis diligentissimo calamo enucleata habetis, urgentibus praesertim temporis angustiis. Sit igitur

TI-

TITULUS X.

De Sponsalibus.

I. MAtrimonium utique sponsalia praecedunt, quae sunt *futurarum nuptiarum conventio, & repromissio L. 1. ff. de Sponsalib.* dicta a verbo *spondeo*; Nam moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi futuras uxores *L. 2. eod.* hodie vero stipulatio necessaria non est, sed satis per mutuam viri, & mulieris in Matrimonium sponsionem contrahuntur sponsalia. Et haec, quae sunt de futuro Matrimonio proprie hoc nomine veniunt in iure nostro, ut patet ex *Tit. De Sponsalibus*; quae autem dicuntur de praesenti, minus proprie sponsalia appellantur.

II. Contrahuntur sponsalia pluribus modis. I. Re, dando pro Arrha annulum, vel aliud quidpiam mulieri, *Can. feminae XXX. q. 1.* II. Verbis mutuam, & liberam repromissionem exprimentibus *Cap. Is qui fidem, & Cap. Si inter hoc tit.* III. Per Procuratorem, Nuncium, litteras &c. *Cap. ultim. de Procur. in 6.* Ad Sponsalia satis est aetas doli capax, hoc est post septennium *Cap. unic. de desponsat. Impub. in 6.* Quod si infantes fuerint, recte Parentes, imo & Tutores pro ipsis contrahent, dummodo post infantiam ipsi sponte contractui consenserint, ex eodem *Cap. & Can. ult. III. q. 2.*

III. Contracta Sponsalia obligationem contrahendi Matrimonium pariunt, ita ut si alteruter iniuste a voluntate recesserit Iudicis auctoritate cogi poterit, *Cap. Requisivi h. t.* nisi ex invitis, & luctuosis nuptiis periculum aliquod timeatur, *Cap. De illis de Desponf. Impub. & Cap. ex litteris 10. h. t.* Olim sponsalia per concubitum sine alia solemnitate transibant in verum Matrimonium *Cap. is qui fidem, Cap. Veniens, & ult. hoc tit.* Verum hodie id per *Trident. Sess. XXIV. Cap. I. de Ref. Matrim.* sublatis clandestinis Matrimoniis, sublatum intelligitur.

IV. Variis tamen ex caussis dissolvuntur Sponsalia, nam praeter mutuum dissensum, aut alterutrius mortem, *Novella XXII. Cap. 2. & Cap. 20. h. t.* dissolvuntur I.

ipso iure contrahendo Matrimonium cum altera, ex mox *laudatis iuris Capp.* II. Per ingressum in Religionem *Cap. 2. de Convers. Coniug.* III. Per susceptionem S. Ordinis, *Capp. 1. & 2. Qui Clerici vel voventes*. IV. Per longinquas, diuturnasque peregrinationes *Cap. de illis 5. h. t.* V. Per fornicationem tam carnalem, quam spiritualem alterius coniugum *Cap. Quemadmodum 25. de iureiur. Cap. 2. de Divort. Can. Non solum, Can. Iam nunc, & seqq. XXIX. q. 1.* VI. Per supervenientem affinitatem, aut cognationem spiritualem *Cap. Veniens de Cognat. spirit. Cap. 2. de consang. & affinit. Can. Si quis sponsam XVII. q. 2.* VII. Ob gravem morbum leprae, amentiae, furoris, imo si alter foede deformis evadat *Cap. ult. de Coniug. Leprof. Cap. dilectus 24. & Cap. 2. h. t.* Absolutis sponsalibus ad ipsas nuptias accedamus.

TITVLVS XI.

De Nuptiis.

I. NVptiae, seu Matrimonium, quatenus civilis contractus rationem habet definitur in iure nostro *Cap. 7. de Praesumt.: Maris, & foeminae coniunctio individuam vitae consuetudinem retinens*; Hanc etiam definitionem tradiderat antea Iustinianus in Institutionibus *tit. de Patria potest. §. 1.* Porro data definitio, ut passim notant Theologi, & Canonistae non exprimit, aut declarat causam efficientem Matrimonii, neque eius substantiam, sed effectum dumtaxat, perpetuam nimirum societatem, seu corporum, & animorum coniunctionem individuam. Quoad substantiam ergo melius definiri posse videretur: *Actio, qua vir, & mulier corporum dominium ad usum coniugalem sibi invicem mutuo tradunt*. Actio vero illa Matrimonii effectiva nihil est aliud quam mutuus contrahentium legitimus consensus iuxta regulam iuris, quae habetur in *L. Nuptias ff. de regulis iuris: Nuptias, non concubitus, sed consensus facit*, unde Innocentius III. in *Cap. 23. de Sponsal. & Matrim.* tanquam indubitatum supponit ad matrimonialem

con-

contractum sufficere solum consensum eorum, qui debent coniungi.

Consensus vero iste non internus dumtaxat, sed externus quoque sit oportet, perspicuis expressus verbis, aut saltem signis, quae praedictum consensum satis valeant exprimere *Cap.* 23. *mox cit.* quare legitime contrahit mutus, si aliquo sensibili signo suum manifestet internum consensum.

II. Nuptias, sive Matrimonium inter se contrahere queunt viri puberes, & mulieres viri potentes, quoties possunt in illud legitimum praebere consensum. Vnde contrahendi Matrimonii incapaces sunt amentes, furiosi, & similes rationis usum non habentes *Cap.* 24. *de Sponſ. & Matr.* Puberes vero sunt, qui ex habitu corporis concipere, & generare possunt: iure civili quidem aetas XII. annorum in feminis, XIV. vero in maribus exigitur, *Instit. lib.* 1. *de Nupt. & tit. quibus modis finiatur tutela*; Iure tamen Canonico eâ etiam minoribus aetate permittitur, quoties ad venerem fuerint idonei, & malitia suppleat aetatem, *Capp.* 3. 8. 9. *& ult. de desponſ. Impub.*

III. Modus autem huiusmodi contractum ineundi est per verba de praesenti, aut signa iis aequivalentia; Et id nubentes praestare possunt vel per se, si praesentes fuerint, vel per Procuratorem si absentes, & quamvis Parentum consensus non accesserit valide contrahunt ex Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Ref. Matr. & Can. Sufficit XVII. q.* 2. saltem ubi per Principum sanctiones filiisfamilias ad contrahendum parentum consensus necessario non requiratur.

IV. Dividitur Matrimonium apud Canonistas in Matrimonium *ratum*, & *consumatum*. Primum appellatur illud quod per verba de praesenti contractum est. Alterum vero, cui corporum commixtio accesserit. De clandestino ante Tridentinum, vel post, ubi illius Decretum publicatum non fuit, an habeat rationem Sacramenti litigant inter se DD. Verum adfirmativa opinio valde probabilis videtur.

TITVLVS XII.

Quae Matrimonium impedire possint.

I. Licet Ecclesia Matrimonii naturam, ut est Sacramentum immutare nequeat, tamen quatenus contractus rationem habet, certas leges, certasque solemnitates ad illud contrahendum praescribere potest, quemadmodum contra Lutheranos definivit Trid. *Sess. XXIV. Can.* 4. Quare aliquos ab ipso contrahendo iure submovet constituto duplici impedimentorum genere, altero impedientium contrahi, & altero dirimentium etiam contractum.

II. Impedimenta igitur primi generis, quae Matrimonium contrahere vetant, quamvis contractum non diri- mant his versibus continentur:

Ecclesiae vetitum, necnon tempus feriatum
Atque Catechismus, Sponsalia iungito votum
Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Primum itaque est *interdictum*, nempe quoties Episcopi iudicio differri debeant nuptiae, quousque suspicio latentis alicuius mali, aut impedimenti tollatur. Cuius causae cognitio dum durat, separandi, etiam adhibitis censuris, sunt coniuges ex Tit. *de Matr. contr. contra Interd. Ecclesiae.*

Secundum *tempus feriatum*, quod ex Trid. *Sess. XXIV. cap.* 10. *de Ref Matr.* extenditur ab Adventu Domini ad Epiphaniae festum, & a feria IV. Cinerum ad Octavam Paschatis inclusive.

Tertium erat olim *Catechismus*, sive institutio ad Religionem Christianam, quod hodie evanuisse censetur.

Quartum sunt *Sponsalia per verba de futuro contracta*; iis enim permanentibus prohibitum est contrahere cum alia persona, *Cap. Veniens* 15. & *Cap. Sicut* 22. *de Sponsal.*

Quintum *votum simplex castitatis*, nam si post votum non nubendi nuptias contraxerit, peccabit quidem, sed nuptiae subsistent. *Capp.* 3. 4. 6. *Qui Cler. vel voventes*, & *Cap. un. de voto in* 6.

Erant

Erant & quaedam Crimina quibus impediebatur Matrimonium contrahendum donec saltem poenitentia peragetur, quae tamen praesentibus moribus minime impedimentum praebent, ut notat Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 17. n. 8.*

III. Impedimenta secundi generis, quae nedum illicitum reddunt Matrimonii contractum, sed etiam impediunt ne valide fiat, unde, & illud dirimunt, si forte attentatum fuerit, veteri iure inspecto sunt XII. quibus alia duo addita fuerunt a Trid. *cit. Sess. cap.* I. quae omnia his versibus concluduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas. vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit praesentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae,
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Verum antequam de singulis speciatim loquar, notate hic obiter: Ex his quaedam in bonum Christianae Reipublicae decreta fuisse, ut Matrimonium dirimant; alia tamen in favorem dumtaxat contrahentium, qui non praesumuntur iniurioso consensisse contractui, nisi sponte cognitae demum acquieverint iniuriae, quemadmodum infra *Tit. XV. n.* 2. clarius explicabimus.

Primum itaque est *error*, qui sit circa personam ipsam, ut si quis existimans se contrahere cum una persona, cum alia contrahat; deest sane spontaneus consensus ad Matrimonii valorem necessarius *L. Si per errorem* 15. *ff. de Iurisd. omnium Iudicum L. Cum Testamentum* 8. *& L. Non idcirco* 9. *Cod. de iuris, & facti ignorantia.* Si tamen error circa personae qualitatem versetur, tenet matrimonium, nisi qualitas sit conditio, sine qua non; quia tum substantiam quoque afficit contractus.

Secundum impedimentum est *conditio servilis* ignorata ex *Capp.* 2. 3. *& ult. de coniug. serv.* nisi forte postquam id sciverit pars libera contractui verbo, vel facto consenserit *Capp.* 2. *&* 4. *eod.*

Tertium impedimentum est *votum solemne castitatis*, emis-

emissum in professione religiosa, aut in susceptione Ordinis Sacri, quod dirimit Matrimonium postea contractum, *Cap. unico de voto, & voti redempt. in 6.*

Quartum impedimentum est *cognatio*, de qua seorsim in sequenti Tit. disseremus.

Quintum vero est *Crimen*, cuius nomine venit delictum perpetratum contra priorem coniugem ad finem contrahendi cum altero. Crimen huiusmodi ad homicidium reducitur, & adulterium ex iure Decretalium. Homicidium itaque dirimit Matrimonium sine adulterio, quoties vir, aut uxor cum alio tertio conspiraverit in mortem suae compartis ex intentione contrahendi cum illo; quo casu si mors fuerit secuta non poterit pars superstes valide cum conspiratore contrahere *Cap. 1. de eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*, & *Cap. 1. de convers. Infid.* Adulterium vero dirimit Matrimonium, I. si maritus adulter efficaciter machinatus fuerit in mortem coniugis suae, vel mariti adulterae, eo fine ut cum ea contrahere posset, vel vice versa uxor adultera in mortem mariti &c. *Capp. 3. & 6. de eo qui duxit in Matrimonium &c.* II. Matrimonium dirimitur propter adulterium, quoties inter adulteros intervenerit promissio de Matrimonio post obitum coniugis contrahendo, vel de facto contraxerint, licet scirent coniugem adhuc vivere ex *Capp. 1. 7. & fin. eod.* Non contrahitur igitur impedimentum dirimens per adulterium, nisi hoc coniungatur cum occisione, aut machinatione occisionis coniugis, vel cum promissione futuri coniugii, ut etiam habetur in *Cap. Significasti 6. eod.*

Sextum impedimentum est *cultus disparitas*, cuius nomine venit diversitas, quae inter baptizatum, & non baptizatum intercedit, quare Christianus cum Pagana, & viceversa contrahere non potest ex vet. Canonum Collect. *Can. 67. & 69.* & si contraxerit dirimitur. Non ita vero si Catholicus mulierem haereticam duxerit, vel e contra *Cap. Decrevit 14. de Haeret. in 6.*

Septimum est *vis*, *violentia*, seu *coactio*, non omnis, sed ea, quae oriatur ex metu gravi, & iniuste incusso, qui cadat in constantem virum, *Cap. Cum locum 14. Cap. Veniens 15. de Sponsal. & Cap. 2. de eo qui duxit in Matr.*

Octa-

Octavum impedimentum est *Ordo Sacer*, qui vel ratione sui, vel solemnis voti castitatis secum adnexi matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit *Capp. 1. & 2. aliisque qui clerici, vel voventes, & Cap. unic. de voto in 6.*

Nonum est *Ligamen*, vinculum nempe matrimoniale inter duos iam contractum *Cap. licet 4. & Cap. fin. de Sponsa duorum, Cap. Gaudemus 8. de Divortiis.*

Decimum est *Honestas*, & vocatur passim impedimentum *publicae honestatis*, illudque oriebatur I. ex Sponsalibus etiam invalidis, nisi invaliditas ex consensus defectu provenisset, & extendebatur usque ad quartum gradum cum consanguineis sponsi, vel sponsae de iure Decretalium in *Tit. de Sponsalibus, & Matrimonio*. Verumtamen per *Trid. Sess. XXIV. Cap. 3. de Ref. Matr.* non sequitur nisi ex sponsalibus validis, & dirimit Matrimonium cum consanguineis Sponsi, vel Sponsae in primo tantum gradu. II. Publicae honestatis impedimentum oritur ex Matrimonio rato, & non consumato etiam invalido, nisi invaliditas ex consensus defectu provenerit, extenditurque usque ad quartum gradum iuxta ius antiquum, cum nihil circa hunc casum variaverit Tridentinum, ut declaravit Pius V. in sua Bulla, quae incipit *Ad Rom. spectat Pontificem.*

Vndecimum est *affinitas*, de qua Titulo sequenti.

Duodecimum impedimentum est *impotentia perpetua ad copulam*, ut constat ex toto Tit. *de Frigidis, & Malef.* Secus autem si impotentia fuerit temporalis, ex *Cap. Fraternitatis eod.* aut mora, vel medicaminibus tollenda; propterea ad triennii experimentum est recurrendum; quod si coniuges per id tempus nullo successu ad venerem nitantur, Matrimonium dissolvi poterit, dummodo de istiusmodi impotentia constet ex iuramento ipsorum coniugum, & septem propinquorum, quod Pontifex *septimam manum* appellat *Cap. laudabilem 5. eod.* ubi statuitur, quod si alteruter coniugum falsus deprehendatur, etiamsi alterum Matrimonium contraxerit, redintegratis prioribus nuptiis ad innocentem coniugem redire compellatur.

Decimumtertium est, si *contractui matrimoniali non interveniat Parochus, & duo, vel tres testes* ex Trid. *Sess. XXIV. de Ref. Matr. Cap. 1.* ubi decernitur ut imposterum

rum Matrimonia absque ea solemnitate contracta irrita forent.

Quartumdecimum denique est *Raptus mulieris*, quae quandiu in potestate raptoris manserit, non potest eidem valide Matrimonio copulari. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor ducere poterit. Quamvis nihilominus raptor ipse, ac omnes illi favorem praebentes sint ipso iure excommunicati, perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si fuerint Clerici de proprio gradu decidant. Praeterea raptor tenetur mulierem raptam sive eam duxerit in uxorem, sive non, Iudicis arbitrio decenter dotare ex Trid. *Sess. cit. Cap.* 6.

Haec sane de dirimentibus impedimentis huc usque dicta ita intelligatis velim, ut privata auctoritate nullatenus solvi possint; At ex Romani Pontificis dispensatione bene obtineri poterit facultas super aliquo eorum, quod sit iuris tantum Ecclesiastici, ut Matrimonium valide contrahatur, ut patet ex Trid. ib. *Cap.* 5.

TITVLVS XIII.

De Triplici Cognatione, & affinitate.

I. Cognatio, quasi *ex uno natio*, unde cognati ex Vlpiano dicuntur quasi plures ex uno nati, *L.* 4. §. 1. *ff. de Gradibus, & Affinibus*, vel ut ait Labeo in *L.* 1. *ff. unde Cognati* §. 2. Qui quasi commune nascendi initium habuerunt. Quare Cognatio in genere explicari potest, ut sit vinculum, quod vel naturaliter ex iure sanguinis, vel ex iuris dispositione inter aliquos contingit. Et ad rem nostram commode dividi potest *in naturalem*, in *spiritualem*, & *in civilem*, *seu legalem*.

II. Cognatio naturalis, quae consanguinitas appellatur, est propinquitas personarum ab eodem stipite descendentium, ac distingui solet per lineas, & gradus. Nomine *lineae* intelligitur ipsamet Personarum Collectio ex eodem stipite procedentium. dividiturque in lineam *rectam*, & *trans-*

& *transversalem*, seu *collateralem*. Linea recta est illarum Personarum collectio, & series, quarum una generatur ab alia, continetque Ascendentes, & Descendentes, ut *Avus*, *Pater*, *Filius*, *Nepos &c.* Linea transversalis est Collectio illarum Personarum, quae ab eodem stipite procedunt, sed una non generatur ab alia. Nomine *graduum* consanguinitatis intelligitur mensura coniunctionis, seu propinquitatis consanguineorum inter se, qua cognoscitur eorum mutua distantia per ordinem ad stipitem, a quo descendunt.

Vt vero cognoscatur quoto gradu consanguinei se contingant, seu quo gradu inter se distent triplex regula adsignari solet post *Glos. in Cap. fin. de Consang. & Affinit. & XXXV. q. 5. in Exposit. Arboris Consang.* una videlicet pro linea recta, seu ascendentium, & descendentium, & duae pro linea collaterali. Prima ergo ita se habet: *Quot sunt Personae, de quibus quaeritur computatis intermediis, una dempta, tot sunt gradus inter eas.* Sic ex. gr. si quaeras quo gradu distet Proavus a Pronepote, numerandae sunt in primis Personae Proavi, & Pronepotis, ac deinde Avi, & Patris, per quos descendit Pronepos, quae cum sint quatuor, una dempta Proavi communi stipite, remanent tres, quare Proavus, & Pronepos in tertio gradu lineae rectae sunt coniuncti.

Pro *linea transversali* si aequalis fuerit ea erit tenenda regula: ut nempe *quoto gradu distant a communi stipite eodem distent inter se*, vel *mutuo se contingant*. Pro linea vero inaequali: *quoto gradu remotior distat a communi stipite, tanto inter se distent Personae*, de quibus quaeritur. Haec in observatione Arboris consanguinitatis, quae reperitur in Decreto Gratiani, *XXXV. q. 5. cit.* clariora fient.

Id vero in hac declaratione notandum est quod huiusmodi regulae pro linea transversali procedunt tantum iuxta ius nostrum Canonicum; Nam iuxta civile ius eadem regula observatur in collateralibus, quae iuxta Canones adsignatur pro linea recta, ut scilicet tot sint gradus, quot sunt Personae quousque perveniatur ad communem stipitem qui subducitur; quare duo fratres secundum civilem Computationem sunt in secundo gradu, quia compu-

quitas ex adoptione proveniens, inventa primitus, & inducta ab Iure Civili *§. Sed si quia Instit. de Nupt.* ac deinde a S. Canonibus adprobata *Can. Ita diligere XXX. q. 3. & Cap. un. de Cognat. Legali*. Huiusmodi vero Cognatio triplex est; prima quidem in linea recta tam ascendenti, quam descendenti adoptantis, & adoptati; inter quas Personas durat prohibitio dirimens nuptias, etiam soluta adoptione, saltem, ut nonnulli putant, usque ad quartum gradum propter pudorem imaginariae cognationis. Secunda in linea transversali inter adoptatum, & filias adoptantis sub patria potestate manentes; verum inter eos cessat prohibitio dirimens vel adoptione soluta, vel filio e patria potestate dimisso *Can. Per adoptionem XXX. q. 3. & L. 17. de Rit. Nupt.* Tertia speciem exhibet affinitatis, quia impedimentum producit inter adoptantem, & uxorem adoptati; necnon inter adoptatum, & uxorem adoptantis; & licet de hac nihil expresse in iure nostro statuatur, censetur nihilominus comprehensa in generali cognationis Legalis notione, ut notat Sanchez *Lib. VII de Matr. disp. 73. n. 17.*

VII. Antequam huic titulo finem imponam notandum occurrit: Ex relatis huiusmodi impedimentis aliqua iure naturali, vel positivo divino Matrimonium dirimere, aliqua vero iure tantum Ecclesiastico; Et etiam aliqua iam contracto supervenire, quae tamen illud non dirimunt; etsi illicitum reddant actum coniugalem, quoties coniugum culpâ impedimentum supervenerit.

T I T V L V S XIV.

De Clandestina Desponsatione.

I. QVemadmodum notorium appellamus id, quod nulla potest tergiversatione celari, ita clandestinum dicimus quicquid clam fieri contingit, ut factum esse probari difficile possit *Cap. 1. h. t.* Huius generis Matrimonia ob gravissima, quae ex iis oriri solent, incomoda semper Ecclesia est detestata, iteratisque decretis sub gravissimis

simis poenis prohibuit, ut fidem faciunt veteres Canones apud Grat. *XXX. q.* 5. & in Decretalibus *h. tit.* ex quibus palam est optasse semper, & praecepisse Ecclesiam, ut publice, & coram Sacerdote Matrimonia celebrarentur. Verum Tridentina Synodus denique *Sess. XXIV. de Reform. Matr. Cap.* 1. irrita etiam declaravit, nisi praesens Parochus, aut alius eius mandato Sacerdos, & duo, aut tres testes adhibeantur, quando coniuges in Matrimonium consentiunt, tum enim Coniuges in faciem Ecclesiae contrahere dicuntur. Parochus vero eiusmodi proprius alterutrius Coniugum esse debet.

II. Quapropter eadem laudata Synodus praevias quasdam publicationes iniunxit praecipiens, ut antequam Matrimonium contrahatur ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum. Quae tamen publicationes etiam sine Episcopi venia si omittantur, non statim invalidum censendum erit Matrimonium, licet illicitum, & poenis obnoxium revera sit.

TITVLVS XV.

Qui Matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.

I. QVemadmodum sancitum est iure nostro, ut praemittantur denuntiationes Matrimonio, ne contingat illud invalide celebrari ob dirimens impedimentum non cognitum *Cap.* 3. *de Cland. Despons.* ita eodem iure contra Matrimonium invalide contractum, ut dirimatur, instituta est accusatio, vel actio coram iudice Ecclesiastico, ad quem huiusmodi causarum cognitionem pertinere definivit Tridentinum *Sess. XXIV. Can.* 2.

II. Circa quod, illud, ut supra notavi, animadvertatis oportet ex hisce impedimentis alia esse, quae Matrimonium iam contractum non dissolvunt, nisi inter dissentientes coniuges, quia in eorum favorem sunt inducta, cuius ge-

generis sunt metus, error, conditio, & coeundi impotentia, quae vitia per novum accedentem partis utriusque consensum purgantur. Alia vero, quae de se Matrimonium irritum faciunt, quibusque non possunt coniuges renuntiare, seu quae per mutuum eorum consensum nullo modo purgari queunt, ut sunt cognatio, crimen, affinitas &c. eiusdem generis. Rem totam clarissime exponit D. Thomas in *IV. Dist. XXXIV. art. 2. ad* 4. quem consulite.

III. Propter primi generis impedimenta non admittitur alia persona ad Matrimonium accusandum, nisi coniuges, cum liberum sit ipsis iuri suo cedere; unde fit, quod si detectis eiusmodi impedimentis de novo consenserint, amplius conqueri, vel Matrimonium accusare non possint, uti de contrahente ob metum gravem statuitur *Cap.* 4. *h. t.* ob errorem *Cap. 2. de Coniug. Serv.* & ob impotentiam *Cap. 4. de Frigid. & Maleficiatis.*

IV. Alterius vero generis impedimenta accusare quisque poterit, & imprimis ipsi coniuges, qui tamen suae accusationis veritatem per idoneas probationes ostendere debent antequam separentur, ne cohabitationis pertaesi ad huiusmodi confugium recurrant *Cap. 5. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae.* Extraneorum autem nemo ad dicendum contra Matrimonium iam contractum admitti debet, nisi iureiurando comprobet suam denunciationum, aut impedimentorum ignorantiam eo usque habitam *Cap. ult. h. t.*

V. Accusatio vero constare debet viva voce, duobus, vel tribus honestis Personis vel ex cognatione adhibitis, vel ex vicinia addito iureiurando super veritate, atque alienatione animi ab omni vel gratia, vel odio, vel lucro, vel metu, quod iuramentum est a testibus quoque subeundum *Cap. Videtur 3. h. t. & Can. 1. & seqq. XXXV. q. 6.* In quo testium numero esse possunt proximi consanguinei etiam ex primo gradu, quibus quoque accusantibus creditur *Cap. eod.* nisi tamen alter coniugum potentia, aut divitiis praecellat, quia tunc inferioris coniugis parentes propter fidei suspicionem ad testandum non admittuntur *Cap. Super eo 22. de testib.*

TITVLVS XVI.

De Divortiis, & secundis Nuptiis.

I. Validi Matrimonii dissolutio alia est quoad *vinculum*, alia quoad *thorum*; illa propriè, haec improprie divortium appellatur. Quamvis autem tum iure naturali, tum positivo divino matrimonium semel valide celebratum, sive consumatum illud fuerit, sive ratum dumtaxat vinculum pariat indissolubile; antequam tamen Evangelii lux hominibus affulgeret plures apud omnes, Iudaeos non minus, quam Ethnicos usurpabantur Causae, propter quas coniuges post diuturnam quoque familiaritatem, & consuetudinem omne dissolvebant initae societatis vinculum. De Iudaeis quidem dubitarì non sinunt tum sacra historia, tum quae leguntur *Matth. XIX.* quapropter ad ipsorum morem lege repudii per Mosem lata iam impune passim receptum respicientes Origenes, Chrisostomus, & alii Ecclesiae Patres inter huiusmodi causas recensent lepram, morbum caducum, sterilitatem, veneficium, perpetuas rixas, magnam foeditatem, aliasque pravas quaslibet animi, aut corporis affectiones, & praesertim incorrigibiles. De Romanis quoque certum omnino est ex lege Romuli apud Plutarchum, ubi tres potissimum recensentur, probanturque, prima nempe: *Si mulier adulterium commisisset*, non autem vir; Secunda: *Si claves fecisset*, vel iuxta Connatum, *si furtum commisisset*, aut iuxta Gisanium, *si partum subiecisset*; Tertia demum: *Si filios veneno necasset*; & licet praeter has causas, ubi vir dimisisset uxorem egestatis poenas substinere cogeretur ex amissione sui totius assis, cuius pars uxori dimissae adiudicabatur, & altera Cereri sacra manebat, ratnm nihilominus habebatur divortium. Quinimo post annos fere sexcentos ab regia istiusmodi lege, repudià adeo frequentia evaserunt, ut de hac licentia Tertullianus acrì conqueratur stomacho in Apologet. *Cap. 6.* Augustus quidem eam magna ex parte temperavit non permittens viris nisi ob certas tantum causas boni viri iudicandas arbitrio, ut uxoribus

nun-

nuncium mitterent, & nonnisi quibusdam observatis ritibus, quemadmodum in *l. Iulia de repud.*; *l. unic. ff. unde vir, & uxor*, *l. Nulla ff. h. t. & l. 6. C. de Repud.* Attamen post Augusti mortem eadem divortiorum effrena libido ultra honesti fines iterum excurrere facile obtinuit, donec Christianorum Imperatorum Constitutionibus intra quosdam limites coerceri coeperit, ut patet ex *Cod. Theod. de Repud.*

II. Verumenimvero quia non eaedem ab omnibus ipsis Imperatoribus decretae fuerunt repudiorum causae, variae etiam Caesarei iuris Codices legentibus occurrunt in posterum huius rei vicissitudines. Nam in *l. Constante C. Theod. de Repud.* Divortium fieri permittitur etiam absque ulla causa, ex coniugis tamen utriusque consensu, quam Constitutionem emendatam deprehendimus in *Novella XXII.* & hanc iterum revocatam in *Novella CXL.* Permissum quoque divortium invenitur *L. in causis C. h. t.* si vir vellet vovere castitatem in Sacerdotio, vel mulier in vita monastica; imo etiam ex *l. Vxor ib. & Novella XXII. cap. 14.* si vir militiae nomen dedisset; quae tamen causa reiicitur in *Novella CXVII. cap. 11.* Item ratum habetur repudium ex *l. Si cum dotem §. Si Maritus ff. soluto Matrimonio*, & *Novell. CXI. & seq.* ob perpetuum furorem; ac etiam ex *l. Consensu §. Vir C. h. t.* si mulier contra viri voluntatem ludis theatralibus, vel spectaculis interfuisset; vel denique si balneis communibus se lavisset *Novella CXII. cap. 8.* ac *l. Iubemus §. 2. C. de Repud.*

III. Hisce vero omnibus humanis legibus posthabitis ex lege Evangelica tenendum est, nullam ob causam generatim loquendo Matrimonii legitime contracti posse permitti quoad vinculum dissolutionem sive per verum divortium, sive per repudium, quomodocumque haec duo invicem differant.

Dixi *generatim loquendo*, nam etiam in lege Gratiae ex nostro iure Divortium quoad vinculum contingere potest I. cum post Matrimonium ratum, non adhuc tamen consumatum unum ex coniugibus approbatam Religionem ingrediatur, & in ea solemniter profiteatur; quod exequi potest, nedum consentiente comparte, sed etiam invita *Cap. 2. de convers. Coniug.* & alteri licebit ad alia vota transire.

At vero si Matrimonium iam fuerit consumatum, id fas neutri erit, & ubi eorum alter id attentaverit, comparti restitui omnino debet ex *Cap.* 3. *eod.* nisi tamen & ipsa consenserit simile votum emittere; Secus vero, unius votum nullius erit roboris, itaut mortua etiam comparte neque tenetur ad Monasterium redire, quamvis ulterius Matrimonio copulari nequeat, quia promisit non exigere debitum, quod erat in sua potestate, ut tradit Coelestinus III. in *Cap.* 12. *eodem*.

IV. Contingere potest II. Divortium quoad vinculum etiam post Matrimonium consumatum inter infideles tamen contractum; & hoc in favorem Christianae Religionis, quoties nempe alter coniugum ad Christi fidem convertatur, altera in infidelitate remanente, & vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis cohabitare volente, *Capp.* 7. & 8. *h. t.* Vbi tamen nonnulla sunt adnotanda, & I. quidem si ambo coniuges ad fidem simul convertantur, subsistit omnino Matrimonium ab ipsis in infidelitate contractum etiam in gradibus iure Canonico prohibitis, aut cum aliquo alio ex impedimentis dirimentibus eodem iure decretis, quia tum temporis Canonicis Constitutionibus non tenebantur, *Cap.* 7. *cit.* II. Non semper licere, aut expedire parti conversae compartem in infidelitate remanentem dimittere iuxta illud Apostoli *I. ad Corinth. 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam &c.* nisi tamen periculum sit ex cohabitatione, ut pars conversa iterum pervertatur, tum sane statim separari conversus debet ab infideli, & ita intelligamus oportet Canonem 10. apud Grat. *XXVIII. q.* 1. in quo statuitur de uxore fideli conversa ex Iudaismo, ut haec nisi vir ad fidem & ipse accedat, ab illo separetur. III. Si pars in infidelitate remanens postea convertatur & ipsa antequam altera iam conversa novum inivisset Matrimonium, illud primum in infidelitate contractum firmum perseverat. Imo si maritus ante baptismum uxorem repudiaverit, & postquam ambo novas iniere nuptias, ad fidem accedant cum novis coniugibus, primum coniugium redintegrabitur iterum, nec poterit vir fornicationem huic primae uxori obiicere, quia gentium more repudiata, alteri nubendo fornicaria dici nequit *Cap.* 8. *eodem*. V. Fa-

V. Facilius vero, &[7] pluribus ex Capitibus dissolvitur Matrimonium ratum & consumatum, quoad thorum. I. Si de utriusque consensu coniuges ambo castitatem voveant, aut Religionem profiteantur, *Capp. 1. & 2. de Conversf. coniug.* II. Si eorum alter in infidelitatem, aut haeresim prolabatur, *Cap. 2. de Divort.* & Trid. *Sess. XXIV. Cap. 5. de Ref. Mat.* III. Si Matrimonii usus peccatum parere, aut disiunctio emendationem adferre posset coniugibus, *Cap. 2. de Divort. & Cap. 3. de Adult.* IV. Ex nimia saevitia, nisi maritus caverit de uxore non vexanda *Cap. 1. ut lite non contestata, & Cap. Litteras in fin. de Restit. spoliat.* V. Si votum emiserit vir longinquae peregrinationis in Terram Sanctam, quod etiam renuente uxore implere poterit, *Cap. ex multa §. In tanta de Voto, & Voti Redemp.* VI. Si alter coniugum Adulterium, aut infandae Veneris scelus commiserit *Cap. Intelleximus de Adult. cap. Quemadmodum de iureiurando*; ex hoc autem capite separandi non sunt coniuges pendente super adulterii crimen iudicio, imo ipso etiam probato licebit viro poenitentem mulierem, & ad bonam frugem redeuntem, sibique conciliatam retinere; alias porro coniicienda mulier est poenitentiae causa in perpetuam aliarum mulierum clausuram *Cap. 1. ut lite non contest. Cap. Gaudemus 19. de Conv. Coniug.* Non permittitur tamen propter adulterium separatio, si mulier invita fuerit compressa *Can. Ita ne 32. q. 5.* aut decepta, quod adulter se maritum simulaverit; vel si eodem delicto ambo coniuges involvantur, *Cap. Intelleximus, & Cap. ult. de Adult.* vel si vir ipse adulterium suaserit uxori *Cap. Discretionem de eo qui cognovit consanguineam uxoris suae*, vel tandem si culpam remiserit uxori, cum ipsa post adulterium actus Matrimonii exercens, *Can. Si qui uxorem XXXII. q. 1.* & Vallen. in Decret. *de Divort. §. 2. n. 2.*

VI. Quod spectat ad secundas nuptias, de quibus est altera huius tituli pars, certum fide est ex Apostolo *I. ad Cor. 7.* per mortem unius coniugis solvi Matrimonii vinculum, & posse partem superstitem transire ad secundas nuptias, quarum nomine veniunt tertiae, quartae &c. ut habet Grat. *XXXI. q. 1. Can. 12. & 13.* quamvis ob quandam incontinentiae speciem, quam praeseferunt hu-

iusmodi nuptiae, de illis Patres asperioribus verbis fuerint locuti, itaut interdum honestam fornicationem illas appellarint *Can.* 9. *ib.* qua etiam de causa per Canones poenitentiales bigami poenis quibusdam adiiciebantur.

De his secundis nuptiis nonnulla decernuntur in Decretalibus, & primò quod nemo ad eas migrare praesumat, donec ei firma certitudine non constiterit de morte prioris coniugis *Cap.* 2. *h. t.* cui consonat Decretum Clementis III. in *Cap* 19. *De Sponsalib.* Plures quoque eandem in rem reperiuntur Canones apud Grat. *XXXIV. q.* 2

Secundò posse Coniuges absque ulla infamia intra annum a morte alterius Matrimonium contrahere *Cap.* 4. & 5. *eod.* contra id, quod sancitum erat per Leges Civiles *I. & XI. ff. De iis, qui notantur infamia.*

Tertiò quamvis Ecclesia secundas nuptias non improbet, vetat tamen eas benedici *Cap.* 1. & 3. *eod.* praesertim si fuerint secundae ex parte uxoris, quae semel fuit iam benedicta; de quibus dumtaxat loqui iura existimat D. Tho. *in IV. Dist.* 42. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2. quam sententiam in praxi servari adserit Fagnanus ad hunc Tit. Rationem cur secundae nuptiae non benedicantur petit laudatus D. Thomas ex eo, quod in his deficiat plena Sacramenti significatio, quae inter Virgines reperitur.

TITVLVS XVII.

De rebus sacris, sanctis, & religiosis.

I. Ecclesiasticas res duplicis generis esse in huius Libri limine iam monuimus, alias nempe *spirituales*, quae spirituali hominum profectui inserviunt; alias *temporales*, quae immediate sacrorum Mysteriorum celebrationi, & Ministrorum substentationi deputantur. Explicatis ergo Sacramentis, quae sunt potissima illarum pars; de his disseramus oportet. Et primo quidem res sacra dicitur, *quae publico, & solemni ritu Deo dicata est*, quemadmodum sunt Templa, Calices, & omnes Personae, quae aliquo pu-

publico ritu Deo sunt dicatae, ut Sacerdotes, Monachi, Moniales &c. Olim apud Romanos haec dedicatio fiebat etiam per Principes *L. Sacra §. I. ff. de acq. rer. Domin.* hodie vero nonnisi per Rom. Pontificem, vel Episcopos, & Abbates nonnullos Regulares, ita Hostien. in *Rub. de Crimin. Sacrilegii n. 1.* & alii. Quare sacella privata, quae domi Magnates habent proprie sacra non sunt, nec immunitate gaudent, nec ibi delinquere vere sacrilegium est *Can. Oratorium dist.* 42. & de his loquitur Iustinianus in *Novell. LVIII. & CXXXI.* dum Sacella in aedibus privatis inhibet. Patet etiam vestes, quibus sacrificium celebratur, vota, seu tabellas votivas, & alia huius generis dona, nonnisi improprie sacrarum rerum nomine adpellari, quemadmodum sacrum dicitur thuribulum ex Glofs. in *§. Item Lex Iulia peculatus Inst. de public. Iudiciis*, non secus ac apud Romanos extensa sacri significatione ad omne id, quod Deorum haberetur, ut notat Trebatius *I. De Religionibus*.

II. Sanctum dicitur quicquid est inviolabile a verbo sancire, quod idem sonat ac *irrogatione poenae ab iniuria defendere*, ut innuit Vlpian. in *L. 9. §. Proprie ff. de acqu. rer. domin.* vel ut Marcianus existimat in *eod. Tit. ad L. Sanctum*, a sanguinibus herbis, quas Legati Populi Romani secum deferebant ne quis eos violaret, sicuti Graeci caduceum. Quo sensu Leges meritò sanctae dicuntur, item viri Deo chari, quos violare nefas est, ac moenia urbis, & Portae *L. 2. ff. ne quid in loco sacro*.

III. Religiosa loca de iure civili sunt, ubi humana corpora sepeliuntur, ut in titulis *de religiosis, & sumtibus funerum*. Huiusmodi Religio ante Christianos privata auctoritate inducebatur; nunc autem non sine Episcopi iussu, & iustis persolutis; propterea religiosa dici possunt Monasteria, Templa, Hospitalia, Oratoria, ut in Tit. iuris nostri *De Religiosis domibus*, & etiam sacella privata, de quibus Canon *Oratorium* supra laudatus. Ita Religiosi quoque viri dicuntur, qui vitam regularem professi sunt, *Can. Non dicatis XII. q. 1. Can. Qui ingredientibus XIX. q. 3. Cap. Cum ad Monasterium de statu Monachorum*. Quibus omnibus speciatim pertractandis manum admovemus.

TITVLVS XVIII.

De construendis, consecrandis, & reparandis Ecclesiis, & Altaribus.

I. QVamvis Ecclesiae nomine proprie veniat fidelium coetus, tamen antiquissima quoque, ipsoque Apostolorum aevo usurpata vocis illius acceptione veniunt aedes sacrae publico pietatis exercitio, & cultui divino destinatae, ut patet ex *I. ad Cor.* XI. De his sacris aedibus agitur apud Grat. *Dist. I. de Conf.* & in Decretalibus *Tit.* 40. *&* 48. *Lib. III.* unde potiora delibabimus.

II. Illud in primis hac in re iure Canonum sancitum est, ut nulli fidelium liceat absque Dioecesani Episcopi consensu novas aedificare Ecclesias *Dist.* I. *de Conf. Can.* 9. *XVIII. q.* 2. *can.* 10. & alibi; quod Civilibus etiam Legibus cautum est *Novell.* 67. *Iustin. Imp.* Episcopus vero in permittenda novarum Ecclesiarum constructione id primum diligenter perspiciat an iusta sit causa eas erigendi.

III. Quamobrem licet permissum cuilibet sit domi suae habere Oratorium orationis causa *Can. Vnicuique de Conf. Dist.* I. dummodo in eo campana publice exposita non pulsetur *Cap. Patentibus* 10. *de Privileg.* non tamen ad Sacrificium Missae peragendum, nisi Oratorium huiusmodi ad divinum tantummodo cultum sit dedicatum, & ab Ordinario designatum, eiusque visitationi subiectum ex Trid. *Sess. XXII. in Decreto De observandis, & vitandis in celebratione Missae §. Neminem.* Alias si quis in Oratoriis intra privatos parietes constitutis absque Romani Pontificis concessione, & in publicis absque Episcopi consensu celebrare praesumserit deponendus erit *Can. Clericus* & *similibus ead. Dist.*

IV. Antequam autem Ecclesia aedificetur, debet Episcopus, aut de eius mandato alius Crucem humi desigere, atrium publice designare, primum lapidem iacere, & lustrali aqua adspergere, *Can. Nemo Ecclesiam dist. eadem & Novella* 67. *Vt nullus aedificet*, licet sufficiat si post constructam Ecclesiam etiam tacite consentiat Episcopus.

Quod

Quod si ipse Episcopus absque iusta causa novae Ecclesiae constructioni consentire noluerit, compellendus etiam erit auctoritate Superioris *Cap. Nullus* 17. *de Iurepat.* Si praeter Episcopi consensum quis Ecclesiam construxerit, nec alteri noceat, destrui quidem illa non debet, sed iacturam patietur iuris patrono debiti, & Ecclesia cum dote sua iuribus Episcopalibus adplicabitur ex *Cap. Nobis eod.* Imo si in loco exempto construenda erit, Summi Pontificis auctoritas requiritur *Cap. auctoritate* 4. *de Privileg. in* 6.

V. Vnicuique vero Ecclesiae pro dote adtribui debet Mansus unus terrae liber ab omni servitute, & onere; id est praedium, quod sufficiat duobus bobus in anno ad laborandum ex *Glos. in Cap.* 1. *de Censibus*. Sin, omissa dote Ecclesia constructa sit nihilominus, qui extruxit dotis nomine etiam recte convenitur *Cap. Cum sicut* 8. *de Consecr. Ecclesiae*, aut in subsidium ad Episcopum Consecratorem recurritur, *arg. Cap.* 2. *de Praebend.*

VI. Perspiciat etiam oportet Episcopus diligenter, ut quisquis desiderat aedificare Ecclesiam id faciat pietatis intuitu, non quaestus cupiditate *Can. Si quis Basilicam dist.* 1. & ne vicinis aedibus noceatur, puta luminibus earum officiendo, aut non legitimum spatium relinquendo; nam licet religionis favor sit summus, tamen ad iustitiae normam contineri debet, ideoque novi operis nuntiatione facta ex vicinis aedibus, sive iure sive iniuria id quod extructum fuerit diruendum est *Capp.* 1. & 2. *de Novi Operis nuntiatione*.

VII. Videndum quoque ne quae aedificatur de novo Ecclesia, etiam Parochialis in praeiudicium cedat antiquae *Can. Quicunque XVI. quaest.* 1. Nisi forte ex iusta causa, veluti si Ecclesia Parochialis ita creverit, ut una omnibus non sufficiat, vel ob nimiam distantiam aliquorum Parochianorum non sine magno incomodo, & difficultate Ecclesiam adeuntium *Cap. ad audientiam* 3. *h. t.* vel si tam frequens sit populus, ut pluribus egeat oratoriis, & Pastoribus *Cap. ult. h. t.* tum sane Episcopi auctoritate potest nova extrui Ecclesia, etiam invito alterius Rectore, imo & portio competens ex proventibus Ecclesiae antiquae, si abundet, eiusdem arbitrio Episcopi adsigna-

signari novae *dict. Cap. Ad audientiam*, & *Trid. Sess. II. Cap. 4. de Reform.* Non obstante iuramento, si quod Episcopus antiquae Ecclesiae praestiterit de ipsius rebus non alienandis *eod. Cap. ult.* dummodo tamen non adsit modus aliunde dotandi, & fieri id possit sine praeiudicio possidentis, ut declaravit S. Congregatio, videte Riccium *dec.* 554. Imo, si necesse fuerit, potest Episcopus tanquam Apostolicae Sedis Delegatus compellere populum ad subministrandam novo Parocho necessariam substentationem ex Trid. *ib. cap.* 4. legite Fagnanum in *Cap. 3. h. t. n.* 32.

VIII. Eo tamen in casu antiqua Ecclesia acquirit iuspatronatus in novam, & eius matrix dicitur laudato *Cap. Ad audientiam*; Eique a nova honor exhibendus est, licet pars populi, quae novae subditur Ecclesiae ab iure prioris intelligatur absoluta *Can. Praecipimus XVI. q. I.* & licet alia nulla subiectionis iura debeantur matrici Ecclesiae, nisi quae Episcopus illi reservasset in limine erectionis ex laud. Fagnano *ib.* ...

IX. Quod attinet ad alteram Tituli partem Ecclesiarum scilicet, aut dirutarum, aut ruinam minantium reparationem, si Ecclesia proprios redditus habeat, vel ex dotatione, vel ex Fidelium oblationibus, aut aliunde ad fabricam ipsius, aliasque necessitates procurandas destinatos, ex iis reaedificanda erit, vel reparanda prout opus est. Si vero ipsis careat praestandum id erit a beneficiatis Ecclesiae *cap. 1. h. t.* salva tamen congrua eorum substentatione *Cap. 4. eod.* His iuribus conformis est Tridentini dispositio *Sess. XXI. cap. 7. de Reform.* ut nempe in hoc procedant Episcopi, quemadmodum supra innuimus *n. 7. de Ecclesiae constructione.*

Quod si ob notoriam egestatem nemo ex praedictis contribuere valeat, nec spes sit aliunde futurae reparationis, ex eodem Tridentino poterit Episcopus vocatis iis, quorum interest ruinosam Ecclesiam destruere, eiusque iura, & dotales fundos ad matricem, si filialis sit, vel ad aliam viciniorem transferre Ecclesiam, in qua erigendum erit Altare sub eadem invocatione, sub qua erat diruta, ita cum aliis Barbosa ad dictum *Cap. 7.* & hoc etiam faciendum erit de beneficiis simplicibus ibidem erectis, & cum suis oneribus, & emolumentis eidem Altari adplicandis.

X. Ec-

X. Ecclesiam de novo constructam, atque dotatam sequitur consecratio, seu Dedicatio, de qua est specialis Rubrica in *lib. III. Decretal. sub Tit. XL.* eaque fieri non potest nisi ab Episcopo, & quidem proprio, cum sit actus ordinis Episcopalis, ut clare ex Gregorio IX. in *Cap. 9. de Consecr. & Can. Nullus* laudato: semel autem facta consecratione non potest iterum Ecclesia consecrari, nisi vel in toto, vel maiori in parte fuerit combusta, vel collapsa *Can. Ecclesiis de Cons. & Can. de fabrica 22. ead. distinct.* Secus vero si modica aliqua pars restauraretur, *Cap. quod in dubiis 3. de Consecr. Ecclesiae*.

Proprius Episcopus, ad quem huiusmodi consecratio spectat, est Dioecesanus *Cap. 2. eodem*; & quamvis irrita non sit ab alieno Episcopo peracta, ipse tamen, si absque Dioecesani consensu peregerit uno anno in poenam a Missarum celebratione cessabit *VII. q. 1. Can. 28.* Tempus denique peragendae huius consecrationis est inter Missarum solemnia *Dist. 1. de Cons. Can. 3.* & quidem maxime decet, ut diebus festivis celebretur, quamvis ex Innocentio III. *Cap. 2. cit.* privatis etiam diebus liceat Episcopo Ecclesias dedicare.

XI. Praeter Ecclesias alia quoque consecrari debent, quae ad divinum cultum sunt destinata, ut sunt Calices, Patenae, & praecipue Altaria. Quae licet de iure ordinario consecrentur ab Episcopo, tamen ex privilegio consecrari poterunt a Praelatis inferioribus, praesertim ab Abbatibus usum Pontificalium habentibus, ut patet ex privilegiis Casinen. Ordini concessis.

Illud hic notetis velim, quod licet olim in Ecclesiis non consecratis neutiquam fas esset divina peragere, ut ex pluribus Canonibus *dist. 1. de conf.* satis constat, hodie tamen nonnisi altaria de necessitate chrismate consecrantur *Can. 32. ib.* & Ecclesiae ut plurimum benedicuntur dumtaxat per aspersionem aquae exorcizatae, tum quia facilius benedictio peragitur, quam consecratio; tum quia si pollui contigerit per simplicem Sacerdotem promptius reconciliantur; ut notat Sotus *in IV. t. 3. & Cap. 10. de Consecr. Ecclesiae*.

XII. Potest etiam contingere aliquando, ut Ecclesia per Episcopum consecrata, & nullatenus destructa, debeat

ab

ab Episcopo iterum benedici; si nimirum polluatur, seu quod idem est talem contrahat moralem maculam, ut in ea divina officia, praesertim Missarum solemnia, celebrari nequeant *Cap. fin. de Cons. Ecclesiae Cap. 11. de Privileg. & Cap. 13. de Sent. Excomm. in 6.* adeout graviter arbitrio Episcopi puniendi veniant, qui scienter in Ecclesia polluta celebraverint. Polluitur ergo I. Per humani sanguinis effusionem iniuriosam, & voluntariam *Capp. 4. & fin. de Cons. Eccl. & Cap. unico eod. in 6.* II. Propter vulnus illatum, ex quo homicidium sequatur etiam absque sanguinis effusione *Cap. proposuisti 4. cit.* III. Per voluntariam humani seminis notoriam effusionem *Cap. fin. cit. Cap. Significasti 5. de Adult. & Can. Ecclesiis 18. Dist. 1. de Cons.* IV. Si in ea sepeliatur infidelis *Can. 27. & 28. ead.* aut etiam fidelis notorie excommunicatus *Cap. Consuluisti 7. de Cons. Eccl.* Exhumari ergo debent huiusmodi cadavera, ac foras proiici, ut laudatis in *Can.* decernitur.

XIII. Hisce in casibus polluitur Ecclesia etsi adhuc consecrata non sit ex *Cap. fin. laud.* quod notat Panormit. etiam in *Cap. 7. cit. num. 4.* Verum non contrahitut istiusmodi profanatio si extra ipsius Ecclesiae corpus eorum aliquid acciderit, ut si v. g. in cellis Ecclesiae adhaerentibus, exteriori tecto, campanili, Sacristia &c. Imo quamvis Coemeterium sit Ecclesiae quoddam accessorium, & consecretur, aut benedicatur non secus ac ipsa Ecclesia, tamen si ipsum polluatur, non propterea polluta censetur Ecclesia, esto ex huius profanatione, illius profanatio inducatur *Cap. unico de Consecrat. Eccl. in 6.*

XIV. Similiter execratum censetur Altare sive mobile, sive fixum, si lapis notabiliter frangatur, itaut vel ineptum reddatur ad usum, vel satis deforme *Cap. ligneis 6. & Cap. Quod in dubiis 3. de Cons. Eccl.* II. Si fractum fuerit Sigillum cavitatis, in quo Sanctorum Reliquiae conduntur iuxta praescriptum *Capp. 1. & 3. eod.* III. Si Altare immobile e basi ubi fuerat adfixum, evellatur ex laudatis supra Capitibus.

XV. Reconciliatio Ecclesiae, vel Coemeterii fit mediante aqua ab ipso Episcopo consecrata cum sale, vino, & cinere admixta ex *Cap. Aqua 9. eod.* iuxta praescriptum Ri-

Ritualis Romani. Et quoties Ecclesia fuerit consecrata, nonnisi per solum Episcopum reconciliari poterit ex *Cap. 9. eod.* non obstante quacumque consuetudine, aut delegatione simplici Sacerdoti facta. Ex privilegio tamen id praestare posse videntur Abbates, praesertim Casinenses pro suis Ecclesiis, aut etiam pro aliis ex speciali delegatione Episcopi. Ita Engel *de Privileg. Regular.*

TITVLVS XIX.

De unionibus Ecclesiarum, & Beneficiorum.

I. VNio, de qua in praesenti, non est apud Canonistas nisi *duarum, vel plurium Ecclesiarum, aut beneficiorum necessariis, aut utilibus ex causis facta connexio.* Necessariae sunt paupertas Ecclesiae, quae alteri opulentiori unitur, ut facilius substentetur *Cap. Exposuisti 33. de Praeb. & Dignit. & Cap. 1. Ne Sede vacante.* Item solitudo Ecclesiae atque vastatio, propter quas indigeat, ut potentiori Ecclesiae adiuncta muniatur *Can. Vnio X. q. 3. & Can. Postquam XVI. q. 1.* Vtiles causae sunt si unus Sacerdos commode pluribus vacare nequeat Ecclesiis, aut si omni populo ad minorem numerum redacto una sufficiat Ecclesia. Et quoniam huiusmodi causae aliae perpetuae manent, aliae ad tempus, ideo vel perpetua unio erit, si causa sit perpetuo duratura, vel temporaria, si aliquando cessarit.

II. Eadem haec unio quatruplici potissimum modo fieri potest. I. Cum ex duobus beneficiis, vel duabus Ecclesiis fit unum beneficium, aut una Ecclesia, ut si duae proximae Parochiales per bellum destructae in unam uniantur cum suis iuribus. II. Beneficium aliquod uniri potest per omnimodam suppressionem, quae potius dicenda est extinctio, quam unio, ut si Canonicatus v. g. erigatur in dignitatem; tunc sane ille penitus extinguitur, ut nova constituatur dignitas adnexam habens praebendam Canonicatus. III. Per hoc, quod uni Ecclesiae altera subiiciatur, tanquam eius accessorium; per quam unionis speciem be-

ne-

neficium adnexum proprium amittit nomen, quamvis non omnino revera supprimatur, sed maneat in sua integritate tum quoad onera, tum quoad proventus, sub principalis tamen Ecclesiae Rectore. IV. Denique ita plures Ecclesiae uniri possunt, ut aeque principaliter uniantur, & omnes in suo statu maneant ut erant antea; quae tunc non alia ratione unitae dicerentur, nisi quod uni Personae conferuntur.

III. Cum autem per unionem aliqua semper fiat beneficiorum, seu Ecclesiarum immutatio, ideo ea sine superioris auctoritate fieri non potest; & ordinarie loquendo ad eum tantum spectat, ad quem spectat beneficiorum collatio. Quamobrem sicut maiora beneficia, ut sunt Episcopatus, & quae Consistoralia dicuntur, Romani Pontificis dispositioni iam a pluribus seculis sint reservata, ita etiam eorumdem uniendorum potestas ad ipsum est devoluta, adeo ut nec ipsis Legatis de Latere absque speciali mandato eam tentare liceat *Cap.* 4. *de Off. Leg.* Quod vero spectat ad inferiora beneficia, inferioresque Ecclesias possunt Episcopi in suis Dioecesibus iusta de causa id praestare *Cap.* 8. *de Excess. Prael. Cap.* 7. *de Donat. & Clem.* 2. *de rebus Eccl. non alien.*, nisi tamen de iis agatur, quae Apostolicae Sedi immediate subduntur. Ceterum ita propria est Episcopi in sua Dioecesi haec potestas, ut Metropolitae non liceat Ecclesias sui Suffraganei sine eius consensu unire. *Cap.* 8. *eod.* Idemque sentit Gonzalez in cit. *Cap.* de Legato a Latere, quamvis hic in Provincia sibi commissa maior sit Ordinario ex *Cap.* 1. *de Off. Ord. in* 6.

Sede vacante autem potest Capitulum ex eo, quia succedit in omnibus, quae sunt iurisdictionis Episcopalis *Capp.* 11. *&* 14. *de Maior. & Obed.* huiusmodi Ecclesias unire, vel beneficia, dummodo nihil iuribus detrahat Episcopalibus, ita Canonistae in *Clem. I. de stat. Mon.* §. *Ad haec*. Demum id quoque praestare possunt Abbates in Ecclesiis sibi subiectis, ubi iurisdictionem Episcopalem, plenamque habeant dispositionem ex *Glos. ib.*

IV. Ne tamen per eiusmodi unionem damnum alicui creetur, cautum est per Regulam II. Cancellariae *de Vnionibus*, ut ad eam procedatur servato iuris ordine, & causa in partibus investigata, citatisque omnibus, quorum

rum intereſt, uti ſtatuerat Trid. *Seſs. VII. de Ref. cap. 6.* Imo ſi Eccleſia, vel beneficium non fuerint Epiſcopalis liberae collationis, ſed iurispatronatus, praeſertim laicalis, ſine Patroni conſenſu nullius eſſet momenti facta per Epiſcopum eorum unio *Cap. 8. de Donat. 20. de Iurepatr. Clem. cit. ib. & Trid. Seſs. XXIV. cap. 15. de Ref.*

V. Circa hanc beneficiorum, & Eccleſiarum unionem praeter ea, quae ex iure communi delibavimus nonnulla ulterius ſancivit Tridentinum, & I. *Seſs. VII. cap. 4. de Ref.* prohibuit beneficiorum unionem perſonalem, & temporalem, ſeu ad vitam alicuius factam; II. *Seſs. XIV. cap. 9. ib.* vetuit ne beneficia unius Dioeceſis beneficiis alterius uniantur ſub quocumque praetextu, etiam augendi divinum cultum. III. *Seſs. XXIV. cap. 13.* ne Parochiales Eccleſiae uniantur in poſterum Monaſteriis, Abbatiis, dignitatibus quoque, ſive Praebendis Eccleſiae Cathedralis, vel Collegiatae, aut aliis etiam ſimplicibus Beneficiis, hoſpitalibus, militaribusve Ordinibus &c. IV. *Seſs. XXV. cap. 9.* ne acceſſiones fiant per viam unionis de beneficiis liberis ad Eccleſias iuripatronatus ſubiectas, quia eiusdem naturae cum ipſis, quibus uniuntur, evaderent.

VI. Praeterea *Seſs. XXI. cap. V. de Ref.* decernit poſſe Epiſcopos etiam tanquam Apoſtolicae Sedis delegatos iuxta formam iuris, abſque praeiudicio tamen obtinentium, uniones perpetuas facere, quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, & Baptiſmalium, & aliorum Beneficiorum vel curatorum, vel non curatorum cum curatis propter eorum paupertatem, aliamve cauſam ab iure permiſſam, etiamſi dictae Eccleſiae, vel beneficia eſſent *generaliter*, vel *ſpecialiter* reſervata, aut *quomodolibet* affecta. Et *Seſs. XXV. cap. 15.* idem ſtatuit circa unionem beneficiorum ſimplicium, non tamen Regularium, faciendam Praebendis Cathedralis, vel inſignis Collegiatae propter ipſarum tenuitatem; & inſufficientiam decenti Canonicorum ſubſtentationi. Imo *Seſs. XXIII. cap. 18.* idem concedit etiam in favorem Seminarii Clericorum.

VII. Ex his colligitur primo unionem faciendam non eſſe in praeiudicium obtinentis beneficium, vel Eccleſiam: unde ſi fiat ante vacationem, effectum non ſortietur, niſi aut mortuo, aut reſignante beneficiato. Idem contingit in be-

beneficio, cuius expectativam quis obtinuisset ante factam unionem.

Colligitur II. Posse Episcopum unire etiam beneficia Romano Pontifici reservata &c. Verum id non extenditur ad ea, quae ipsi perpetuo reservantur, ut prima Dignitas post Episcopum in quavis Cathedrali per Regulam III. Cancellariae, cum de his disponendi ablata sit Episcopis potestas per rafervationem eiusmodi.

Colligitur III. quod facta per Episcopum de his beneficiis unione, eius effectus impediri nequeat per quamcumque provisionem etiam resignationis caussa factam. Hinc si beneficium unitum, vacaret in Curia, ac proinde esset reservatione affectum, non posset tamen valide impetrari, nisi Romanus Pontifex expresse dispensaret.

VIII. Verum quod spectat ad unionem in favorem Seminarii Clericorum, notate Concessam Episcopis per Tridentinum facultatem restrinxisse Clementem VIII. quem citat Fagnanus in Commentario ad *Cap. 8. de Excess. Prael.* ab eo quippe sancitum est non posse Episcopos unire Seminariis beneficia, quae obtinentur ab iis, per quorum mortem, quocumque mense contingat, certum sit ea beneficia vacare in Curia.

TITVLVS XX.

De Immunitate Ecclesiarum.

I. IMmunitas generatim est a muneribus, & oneribus exemtio *L. I. ff. de Iur. Immunit.* & in hac potissimum exemtione consistit Ecclesiastica libertas proprie dicta. *Munis* quippe, Graecis Λειτουργὸς est qui publicis oneribus addicitur, & obstringitur; contra vero *Immunis* seu Ἀλειτουργὸς, qui ab iisdem eximitur, quapropter prout in praesenti accipitur Immunitas optime definiri solet: *Concessio Ecclesiae facta, qua eius loca, res, & Personae a communi onere liberae sunt, & exemptae.* Ex qua definitione apparet istiusmodi concessionem sub triplici venire respectu. Vel est enim in favorem Ecclesiarum, aliorumque ob pietatem erectorum locorum, & dicitur *Immunitas lo-*

localis, vel favorem respicit clericorum, & dicitur *Personalis*; vel tandem res tuetur Ecclesiae, aut Clericorum, & nuncupatur *Realis*.

II. Localis immunitas ea dicitur, qua gaudent loca Deo consecrata, ut sunt Ecclesiae, licet fuerint tantum benedictae *Cap. Ecclesia h. t.* imo si vel interdictae, & pollutae, vel destructae absque Episcopi auctoritate, dummodo desperata non sit earum reparatio. Haec vero immunitas ad omnia quoque extenditur loca Ecclesiae Principali adiacentia, ut sunt Sacristia, Porticus, Atrium &c. & ad omnia pia loca, Episcopi auctoritate fundata, & ad Palatium Episcopi etiam ab Ecclesia seiunctum *Can. Quisquis XVII. q. 4.*

Ratione igitur huius localis immunitatis in Ecclesiis nedum agitandae non sunt causae criminales *Cap. Cum Ecclesia cit.* sed nec etiam Civiles ad forum secularem spectantes ex Conc. Lugdun. Decreto in *Cap. Decet 2. h. t. in 6.* quare sententiae in ipsis latae, & processus nullius prorsus sunt roboris *ib. §. Ordinarii, & Cap. in domibus 1. h. t.*

Ad hanc eandem immunitatis speciem spectat ius *Asyli* loci scilicet inviolabilis, & consecrationis lege tuti, apud quem confugientes sine piaculo inviti extrahi non possunt; quod ius apud omnes nationes semper viguit, &, ut de aliarum Gentium asylis taceam, sacrae veteris Testamenti paginae satis nos docent apud Ebraeos Iosue sex refugii constituisse civitates. In lege vero gratiae huiusmodi asyli immunitas obtineri etiam coepit in Ecclesiis, & Altaribus Deo consecratis post magnum Constantinum, ut patet ex Concilio Arausicano, & Gelasio apud Grat. *Can. Eos qui Dist.* 87. *& Can. Frater XVII. q. 4.* Quinimo idem hoc privilegium in Christianae Religionis obsequium confirmarunt deinde Honorius, & Theodosius Imperatores *l. 2. C. de his qui ad Ecclesiam confug. & l. 4. C. Theod. eod.* Et quamvis id minus probasse videatur Arcadius, qui suadente Eutropio debitores, & ratiociniis obnoxios ab Ecclesiis, harumque septis avelli posse sanxit *l. 3. C. Theod. eod.* de qua re Chrysostomus hom. in Eutropium; Leo tamen Imp. integram Theodosii Constitutionem renovavit. *l. praesenti C. eod.*

H III. Hoc

III. Hoc idem deinde veluti pietati Christianae consonum saepius probavit Ecclesia in variis Conciliis, ac Summorum Pontificum Statutis; & praecipue Innocentii III. Decretali in *Cap. inter alia 6. b. t.* Quam demum confirmavit, explicavitque Gregorius XIV. in sua Const. *Cum alias nonnulli*; Quare Debitores, & Delinquentes nisi in casibus exceptis, ubi ad Ecclesiam confugerint, inde extrahi nequeunt, dummodo per baptismum vivant in gremio Ecclesiae. Etenim iuxta probabiliorem DD. opinionem hoc iure gaudere non debent Infideles, Iudaei, Pagani, &c. quia digni non sunt, ut tueantur in Ecclesia qui eius gremio, & tutelae per baptismum se committere nolunt.

Quinimo ab eo etiam favore plures Christianorum excluduntur, de quibus expresse in utroque iure fit mentio; & I. quidem *qui sunt iuris alieni*, quique non ob aliam causam ad Ecclesiam confugiunt, nisi ut suos respective dominos, aut Principes debito fraudent servitio, uti de servis statuitur *Cap. 6. b. t.* & de remigibus, ac militibus docent DD. II. Propter criminis atrocitatem *publici Latrones, viarumque grassatores*, de quibus eod. *Cap. 6.* Latronis nomine venit, qui praedae, seu rapinae causa homicidium committit, aut intentat *L. Capitalium §. Famosos ff. de poenis, & XXIII. q. 5. Can. 19.* Viarum autem Grassatores dicuntur ex laud. Bulla Gregorii XIV. qui itinera frequentata obsident, ut viatores ex insidiis aggrediantur etiam sine caede, praesertim dum pluribus vicibus id tentarint, & de delicto constet *notorietate*, aut *iuris*, aut *facti*. III. Nocturni *agrorum depopulatores*, qui nimirum agrorum segetes, vinearum fructus &c. comburunt, destruunt, devastant *l. 1. C. quando liceat sine Iudice*, & *Cap. 6. cit.* Imo etiam *diurni* ex ead. Bulla, & ex Barbosa *lib. II. de Iur. Eccl. cap. 3. n. 87.* IV. *Qui spe immunitatis* in ipsa Ecclesia, vel Coemeterio homicidia, vel membrorum mutilationes committunt *Cap. fin. b. t.* V. *Homicidae proditores Cap. 1. de Homic.* Quod nedum intelligitur de eo, qui alium sub amicitiae colore per insidias, & industriam occidit; aut inimicum fideiussione praestita de non offendendo, postea necaverit; sed de illo etiam, qui post aliquot ab rixa horarum intervallum adversarium aggressus ex deliberato animo ipsum interfe-

ciſſe

eisse praesumitur, ut declaravit Clemens XII. in sua Constitutione anni 1733. VI. *Assassini*, illi videlicet, qui pretio conducti alium occidunt, vel pretium dant alteri, ut homicidium patret. His omnibus iuremerito Gregorius XIV. in praelaud. Bulla adnumerat quoque *lesae Maiestatis in Personam ipsam Principis*, & *haeresis reos*. Quamobrem ita delinquentes asyli favore destituuntur, & servatis servandis ab Ecclesia, si ad eam confugerint, extrahi etiam inviti possunt impune.

IV. Ad alias Immunitatis, quas supra recensuimus, species, quod attinet, ut clarius, quae de ipsis in sacris Ecclesiae Canonibus statuuntur, intelligantur, breviter hic notetis oportet, triplicis potissimum generis esse onera, de quibus occurrere nobis quit sermo; alia siquidem *Personalia*, quae nimirum Personis ipsis imponuntur, ut Capitatio, militia, tutela &c. Alia vero *realia*, quae rebus ipsis adligantur, nulla prorsus habita possidentis Personae ratione. Alia demum *mixta*, quae Personis revera imponuntur ratione rerum possessarum, ut cum Princeps suis imperat subditis decimarum ex bonis omnibus, quae possident, solutionem.

Cum igitur Ecclesiasticae Personae divino sint cultui omnino mancipatae, naturali utique rationi consonum, & recto rerum ordini conforme existimarunt piissimi quoque Imperatores, qui Christianae religioni nomen dederant, ut ab omni *personali* militiae, tutelae, aut alterius publicae administrationis onere, cui ceteri cives subiiecbantur, Clericos eximerent, ne horum munerum occasione ab Altaris ministerio avocarentur. Imo cum non propriis stipendiis, sed ex famulatu Ecclesiae praestito aut viverent ipsi, aut vivere saltem censerentur, aequum etiam, honestumque fuit eos liberare a personalibus quoque tributis, communibusque oneribus, quae per capita, sive iuxta numerum personarum, sive respectu bonorum, quae possident cives, imponi solent, cuiusmodi est census ille, qui *capitatio* dicitur *tot. tit. C. de capit. Civ. l. 1. C. de Episc. & Cler.*

Ex eadem quoque ratione, quod quemadmodum universa Ecclesiae suppellex, vasa sacra, proventus, ac cetera Deo dicata ab oneribus communibus haberentur exempta; ita etiam Clerici, qui ut diximus, non nisi ex

eleemosynis, & Ecclesiae proventibus primùm alebantur; *reali* immunitate gauderent postea eorum Bonorum, quae ab Ecclesia propriae cuiusque sustentationi deputari coeperunt, dummodo tamen illa ad Ecclesiam non transierint cum aliquo antiquo onere civili, vel censuali, a quo sicut non eximitur Ecclesia, ita a fortiori neque Clericus, qui eius intuitu possidet. Quapropter non minus circa haec, quam circa patrimonialia bona attendendae sunt locorum consuetudines. Haec sane, quae usque modo diximus colliguntur aperte ex *Capp.* 2. 4. *&* 7. *h. t.* ac ex *Capp.* 1. *&* 3. *eod. in* 6. *Clem. un. eod.* aliisque pluribus iuris nostri locis, & ex communi Canonistarum sententia post *Glos. ad Cap. Sancitum I. de Censibus*.

V. Viget nunc quoque alterum Clericorum privilegium eidem Ecclesiasticae Immunitati innixum, quod *Canonis*, & *Fori* Canonistae passim adpellant; & ex eo duo potissimum proveniunt. I. Vt si quis suadente Diabolo in eos violentas iniecerit manus iuxta Canonem *Si quis XVII. q.* 4. excommunicetur ab solo Rom. Pontifice absolvendus; alterum vero, ut Clerici ab seculari eximantur foro iuxta *Cap.* 5. *&* 12. *de For. Compet.* Quoties tamen sermo non sit de actionibus ex *contractu* ortis, in quibus de bonis feudalibus agatur, tunc enim penes Dominum Feudi, etiam laicum, erit iudicium *Cap.* 6. *&* 7. *eod.* Quemadmodum nisi sermo sit de actionibus ex *delicto*, in quibus ex iure etiam Canonico Clerici huiusmodi privilegio expoliati intelliguntur, ut I. si ceu *Assassini* accusantur, vel tanquam eorum fautores, aut submissores ex *Cap.* 1. *de Homic. in* 6. quod confirmavit, & explicavit Clemens VIII. in sua Constitutione *aequa*, *&* *circumspecta*. II. Si ab clericali habitu Apostatae fuerint delinquentes inventi *Cap.* 1. *de Apost.* III. Si per solemnem degradationem, aut alio quolibet modo clericatus privilegia amiserint &c. *Cap.* 2. *de Poenis in* 6. *&* *Clem.* 5. *de Vit. & Honest. Cler.*

VI. Deducunt demum Canonistae ex hac immunitate alterum Clericorum privilegium in *Cap. Odoardus de solution.* expressum, ut nempe si eorum quis ad inopiam adeo redactus fuerit, ut solvendi alienum aes non sit capax, nec excommunicari, nec vexari debeat, sed sufficiet quod iureiurando promittat se soluturum, ubi ad meliorem fortunam pervenerit.

TI-

TITVLVS XXI.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

I. Census in generali, & communiori acceptione significat quicquid annuatim in quantitate, seu summa persolvitur *L. aetatem ff. de Censib.* eaque ratione Tributum, & pensionem comprehendit. Hic autem sumitur pro certa pecunia, quae de Ecclesiae proventibus Episcopo ex lege debitae recognitionis solvitur, vel aliis, qui praesunt, & aliquando etiam vel Clericis, vel Patronis, *Cap. 6. de Relig. dom. Cap. Recepimus 8. de Privil. Cap. Querelam 25. de Elect.* Quoties eiusmodi solutio in signum subiectionis fiat propter impositionem tempore fundationis, aut consecrationis Ecclesiae decretam, dicitur *Census antiquus*. *Novus* vero si propter impositionem recentiorem, & aliis Ecclesiis regulariter non communem, de quo sermo est *Cap. 7. h. t.*

Qua de re illud praesertim observandum non posse ab Episcopo, vel alio Praelato novum censum imponi super antiquum *Cap. Scientes 3. Cap. prohibemus, & Cap. praeterea 8. h. t.* quamvis imponatur Ecclesiis de manibus secularium ereptis *Cap. de Ecclesiis 9. h. t.* & etiamsi Rector noviter recipiens Ecclesiam in sua institutione iuraverit novum censum supra antiquum impositum solvere; quo in casu tenetur Episcopus eum ab eiusmodi iuramento absolvere *Capp. 13. & 15. h. t.* ne Ecclesiae ex annua census solutione nimis graventur contra *Regulam Textus in Cap. Sancitum 1. h. t.* Sunt nihilominus aliqui casus, in quibus licet Episcopo novum censum imponere; & I. quidem si Ecclesiam eximit a sua iurisdictione *Cap. Venerabili h. t.* II. Si ex iusta causa ad tempus dumtaxat imponatur, cum prohibitio ex laudatis iuris Capitibus non procedat, nisi de censu perpetuo; & demum si Episcopus pro Iuvenum educatione, & instructione Seminarium erigere velit; nam ex Trid. *Sess. XXIII. Cap. 18. de Reform.* pro eiusmodi pio opere omnibus beneficiis suae Dioecesis censum etiam imponere poterit.

 II. Exa-

II. Exactiones generatim sumptae comprehendunt taleas, collectas, ac omne pensitationis genus. Hic tamen illud tantum significant, quod habet perpetuam, ac certam praestationem, & possunt esse vel *ordinariae*, vel *extraordinariae*. Inter ordinarias exactiones, uti colligitur ex *Capp. 19. & 20. h. t.* adnumeratur I. *Quarta Canonica*, quae scilicet iuxta locorum consuetudines detrahi solet ex relictis Ecclesiae, ubi huiusmodi donationes fieri ex peculiari locorum Statuto non vetantur, & aliis eidem obvenientibus; & haec vel est Episcopalis, quae scilicet solvitur Episcopis, vel Parochialis, quae solvitur Ecclesiae Parochiali, de qua alibi sermonem erimus habituri. II. adnumeratur *Quarta Decimationum*, scilicet quae debetur Episcopo ex omnibus Decimis iuxta Regionum consuetudinem. III. demum *Synodaticum*, seu annua pensio Episcopo debita ex ordinatione Synodi, quae singulis annis celebrari debet; haec autem pensio *Cathedraticum* etiam appellatur aliquando, ex eo quod solvi videtur in recognitionem Cathedrae Episcopalis.

Extraordinariae vero exactiones, vel Collectae non imponuntur ab Episcopis iuxta Later. Conc. in *Cap. Cum Apostolus §. Prohibemus 6. h. t.* nisi certis in necessitatibus supervenientibus ex manifesta causa, quae ubi accidit, quia moderatum auxilium cum charitate postulare debent Episcopi, *subsidium charitativum* huiusmodi exactiones appellari consueverunt; Earum fit mentio in *Cap. Vas electionis ext. Com. h. t. Clem. I. & 2. eodem*.

III. Procuratio prout hic sumitur est *victus*, seu *substentatio* Episcopo debita occasione visitationis peragendae per suam Dioecesim ex redditibus Ecclesiarum, quae visitantur. Numerus tamen harum Procurationum excedere non debet numerum dierum, quibus iusta mora fit in loco, qui visitatur ex Later. IV. in *Cap. Procurationes 23. h. t.* & iuxta Ecclesiae facultates subministrari debent *Cap. Cum nuper 25. h. t.* Forma vero exigendi Procurationes, ut immoderatis impensis non graventur Ecclesiae visitatae, praescribitur in Later. III. *Cap. Cum Apostolus cit.*

IV. De modo eas praestandi varia fuit Ecclesiae dispositio. Olim ab invitis non poterant procurationes exigi in pecunia, sed proprio victuali Visitator contentus esse

esse debebat *Can. Relata I. q. 1.* bene tamen a volentibus *Can. Rolatum X. q. 3.* Deinde Innocentius IV. in *Cap. Romana §. Procurationes 1. h. t. in 6.* statuit ut omnino procurationes redimi pecunia non possent; quod etiam postea confirmatum fuit a Gregorio X. in Lugd. Conc. *Cap. Exigit 2. h. t. in 6.* At Bonifacius VIII. longa temporum experientia cognoscens has Constitutiones sine magno Ecclesiarum incomodo, & dispendio observari non posse, permisit, ut huiusmodi procurationes non in victualibus, sed in pecunia praestarentur; dummodo tamen pro singulis diebus singulae exigantur, etsi eodem die plures Ecclesiae visitentur *Cap. Felicis 3. h. t. in 6.*

V. Solvi eaedem debent ab omnibus Ecclesiasticis sive Secularibus, sive regularibus, sive Monasteriis, sive Personis, a quibuscumque Capellis, & Oratoriis publicis, Episcopi auctoritate erectis, nisi speciali privilegio per Sedem Apostolicam sint ab hoc onere exempta *Cap. Cum instantia 17. Cap. Cum Venerabilis 21. & Cap. Cum Venerabili 24. h. t.*

TITVLVS XXII.

De Capellis Monachorum.

I. Quoties in iure nostro mentio de Capellis Monachorum occurrit, earum nomine veniunt Ecclesiae *Curatae* potissimum, seu *Parochiales* Monasterio, vel alteri parochiali incorporatae, & subiectae, quae olim administrabantur tantum per Sacerdotem Secularem, quem Monachi Episcopo praesentabant *Cap. 1. h. t.* Hodie autem si Ecclesia Parochialis pleno iure sit Monasterio unita ad Praelatum Regularem spectat instituere ibi Vicarium, etiam Regularem, ab Episcopo tamen adprobandum, cui consonat Tridentinum *Sess. XXV. cap. 11. de Regul.* Imo si eiusmodi fuerit incorporatio, ut Populus sit etiam exemptus ab Episcopi iurisdictione, & Monasterio omnino subiectus, tunc neque approbatio Vicarii pertinet ad Episco-

rum, sed omnia ad solum Praelatum Regularem, ut colligitur ex *Can.* 1. *XVI. q.* 2. *Cap.* 1. *de Privil.* & *Clement. un. de Excess. Prael.*

II. Attamen si huiusmodi incorporatio non sit pleno iure Monasterio facta, sed tantum quoad temporales redditus percipiendos cum solo iure praesentandi, non autem investiendi, debet constitui Rector perpetuus, ut colligitur ex *Cap.* 31. *de Praeb.* 3. *de Privil.* & *unico h. t. in* 6. Quia quaevis Ecclesia Parochialis ex Trid. *Sess. XXIV. Cap.* 3. *de Ref.* suum habere debet perpetuum Rectorem; Qui quum Abbas non sit in beneficio haud plene incorporato, alius propterea esse debet. An vero etiam Regularis possit dubitant Canonistae.

TITVLVS XXIII.

De Religiosis Domibus.

I. Domus Religiosa est locus pius non consecratus, sed tamen auctoritate Episcopi erectus; unde quamvis lato modo Ecclesiae, Templa, & Capellae consecratae loca Religiosa dici possint, stricte tamen sub eo nomine non veniunt nisi Monasteria, & hospitalia praesertim hospitibus accipiendis inventa, ut Xenodochia, Orphanotrophia. Gerontocomia. Brephotrophia. Nosocomia. Prochotrophia, de quibus fit mentio *Can.* 23. *XXIII. q.* 8. Item Confraternitates, Congregationes, aliaque loca quaecumque ad charitatis, & Religionis opera, aliumque pium usum destinata, dummodo auctoritate Episcopi sint erecta ex *Capp.* 4. & *fin. h. t.*

II. Quantum ad Monasteria pertinet, sicut de Ecclesiis diximus, nova aedificari nequeunt sine Dioecesani Episcopi licentia *XVI. q.* 7. *Can.* 41. *XVIII. q.* 2. *can.* 12. & *seq.* imo nec sine Rom. Pontificis consensu ex *Cap. unico de Excess. Prael. in* 6. & licet hoc postea per Trid. *Sess. XXV. Cap.* 3. *de regul.* ad solius Episcopi facultatem revocatum fuerit, nihilominus pro Italia saltem, & Insu-

ſulis adiacentibus Bonifacii VIII. diſpoſitionem obſervari iuſſit Innocentius X. in Conſtitutione, quae incipit *Inſtaurandae*. Praeterea in Monaſteriorum erectione potiſſimum obſervanda ſunt Decreta Clementis VIII. in Conſtitutione *Quoniam ad inſtitutam* an. 1603. Gregorii XV. in Conſtit. *Cum alias* an. 1622. & Vrbani VIII. in Conſt. *Rom. Pontifex* an. 1625.

III. Loca omnia religioſa Epiſcopi auctoritate erecta de iure communi ipſi ſubiiciuntur, itaut omnium reſpectu fundatam in iure intentionem habeat, & qui oppoſitum contendit probare tenetur privilegium exemptionis *XVI. q. 7. can. 10. & Capp. 3. 6. 7. & 8. h. t.* Dixi de iure communi, nam ex ſpeciali privilegio plura loca pia ab Epiſcopi iurisdictione exempta ſunt, & praeſertim Regularium Monaſteria fere omnia.

IV. Ob hanc locorum Religioſorum ſubiectionem, praeter iurisdictionem fori contentioſi, & Epiſcopalium iurium exactionem, duo principaliter competunt Epiſcopo, I. videlicet ius viſitandi ipſa loca, exceptis tamen iis, quae ſub Regum immediata protectione ſunt, niſi eorum conſenſus acceſſerit ex Trid. *Seſs. XXII. cap. 8. de Ref.* II. Quod adminiſtratores locorum religioſorum teneantur rationem adminiſtrationis Epiſcopo reddere, ſublatis hac in parte privilegiis & conſuetudinibus quibuſcumque, niſi de eo ſecum in inſtitutione cautum eſſet ex eodem Trid. *Cap. 9. ib.* Hoc autem non extendi ad hoſpitalia, aliaque pia loca militarium Ordinum, & aliorum Religioſorum docet Fagnanus ad *Cap. 4. h. t.* & colligitur tum ex *Clem. II. §. Praemiſſa h. t.* tum ex Trid. ipſo, quod non niſi de ſecularibus loquatur, non de regularibus, ut declaravit S. Congregatio apud Fagnanum *ibidem*.

V. Quod attinet ad loca religioſa ſine Epiſcopi auctoritate erecta, quamvis eius iurisdictioni non ſubiaceant, plura tamen poteſt in ipſis Epiſcopus, nimirum poſt Fundatoris mortem inquirere, videre, & viſitare an iuxta Fundatoris intentionem, & voluntatem deputata bona debite adminiſtrentur; quia ut dicitur *Cap. 17. de Teſtam.* in omnibus piis voluntatibus per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum Defuncti voluntatem cuncta procedant.

dant. Poteſt inſuper ſingulis annis exigere rationem adminiſtrationis, ut colligunt Doctores ex loco Trid. ſupra cit. quod generaliter intelligendum eſt, prout Sacram Congregationem declaraſſe refert Fagnanus *loco citato*.

TITVLVS XXIV.

De Sepulturis.

I. TRiplici ſenſu accipi poteſt ſepulturae nomen, I. quidem *pro loco ipſo*, ubi Cadavera ſepeliuntur, ut *Can. Si unum XII. q. 2. Can. Secundum XXIV. q. 8. & Cap. 3. h. t.* II. *Pro cura ſepeliendi* corpora defunctorum ut in *Clem. 2. h. t.* III. Pro *ritu*, ſeu *officio*; quod ſepeliendis corporibus impenditur, ut in *Can. Praecipiendum XIII. q. 2. & Cap. non ſatis in fin. de Symon.* ubi ſepulturae prohibetur venditio, quod & apud Ethnicos nefas ex Cicer. in Verrem.

II. Sepultura primo ſenſu accepta eſt locus auctoritate Epiſcopi benedictus, & *Coemeterium* paſſim appellatur, quod idem eſt ac Dormitorium *XIII. q. 1. & 2. c. qui divina*. Olim nec in Eccleſiis, nec in Civitate quidem ſepulchra fieri permittebatur *L. Mortuorum C. de Religioſis & ſumpt. funer.* Apud Chriſtianos vero obtinuit, ut iuxta Eccleſias, vel intra earum confinia in atrio, porticu, & Exedris ſepulchra fierent ex *Can. Sicut XVII. q. 4.* Imo etiam obtinuit tandem ſeculo 8. & 9. ut intra Eccleſiam ſepelirentur defunctorum corpora, & praeſertim Epiſcoporum, Abbatum, atque digniorum ex Presbyteris, & etiam ex Laicis, de quibus fit mentio *Can. 18. XIII. q. 1.* Optavit tamen ſemper Eccleſia, ut vetus conſuetudo ſervaretur, quemadmodum fidem faciunt ſequentium temporum Statuta, & Rituale Rom. iuſſu Pauli V. editum, ubi praeſcribitur, ut ſervetur conſuetudo, ſi viget, mortuos in Coemeterio ſepeliendi, & ubi fieri poterit, reſtituatur. Haec de loco ſepulturae in genere.

III. Ad locum ergo, in quo quis ſepeliendus quod attinet, quamvis de iure ordinario unuſquiſque ſepeliri debeat

beat

beat in propria parochiali Ecclesia *Cap. qui* 3. *b. t. in* 6. *& Cap. Ex parte* 3. *b. t.* nihilominus cuique habenti perfectum rationis usum fas est ubi voluerit sepulturam sibi eligere *Cap. Nos instituta* 1. *b. t.* itaut si Ecclesia electa cadavere fuit privata, illud ei restituendum erit cum omnibus, quae occasione funeris obvenire contigerint *Cap. Cum liberum* 6. *b. t.* Et licet filii sint humandi in sepulchro Parentum *Can. Ebron XIII. q.* 2. & mulier in sepulchro viri *Can. Vnaquaeque ib.* nihilominus hoc cessat quoties diversa praecessit expressa electio *Can. de uxore ib.* Imo filii puberes alioquin ex quavis causa incapaces testandi, sunt tamen semper capaces eligendi sibi sepulturam, dummodo eiusmodi electio libere, & sponte fiat *Cap. Animarum* 2. *b. t. in* 6. Insuper nulla quoque praecedente electione si quis habet sepulchrum Maiorum in eo erit sepeliendus *Cap.* 1. *b. t. & Cap.* 3. *eod. in* 6. quin imo Patri liberum erit filios impuberes etiam extra Parochialem Ecclesiam sepelire *Cap. licet* 8. *b. t. in* 6. Religiosis tamen adempta omnino est facultas eligendi sibi sepulturam, sed in propriis Ecclesiis sepeliri debent *Cap. Religiosi* 5. *b. t. in* 6. nisi longius a suis Monasteriis absint, ut eò commode transferri nequeant, ut notat *Gravina ad b. t.* Ita pariter Clerici beneficiati sepeliendi sunt in ea Parochia, ubi beneficium habent, & servitium cum residentia exhibent *Cap.* 1. *b. t. & Cap.* 2. *eod. in* 6.

IV. Ad contentiones, & iurgia vitanda, quae saepe oriuntur Regulares inter, & Parochos occasione funerum, notate, in casu quo quis apud Regulares sepulturam elegerit, I. si nulla fuerit peculiaris loci consuetudo, aut pactum initum, posse Regulares etiam irrequisito, & invito Parocho adsociare Corpus defuncti, illudque ad sepulturam comitari ex communi Canonistarum sententia; Parochias vero intrare cum Cruce ex Leone X. *in Concilio Later.* non posse ad levanda corpora defunctorum, nisi prius praemonito, ac requisito, licet invito, Parocho, quemadmodum declaravit etiam Sacra Congregatio an. 1604. apud Donatum *p.* 3. *tract.* 9. *q.* 19. II. Nec Religiosos, nec defuncti haeredes cogi posse, ut Cadaver prius ad Parochialem deferant, ibique deponant pro accipienda ultima quasi benedictione, sed rectà deferre possunt ad regu-

gularem Ecclesiam Parocho tamen requisito, & vocato ex declaratione Sixti IV. ut tradit Rodriquex *Tom. III. q.* 83. *art.* 21. III. Dum defertur corpus ad sepulturam non esse deferendam Crucem Parochialis Ecclesiae, sed illius, in qua sepelitur, ut docet Barbosa *de Offic. & Potest. Parochi p.* 3. *cap.* 26. Poterit tamen Parochus etiam cum stola funus comitari, & regularem Ecclesiam ingredi, dummodo se abstineat ab actu sepulturae, & funerum officiis ex eodem Barbosa *ibidem*.

V. Ad Tituli complementum ex data superius Ecclesiasticae sepulturae definitione colligendum est, plures eâ per S. Canones privari, & I. quidem Infideles *Can.* 27. *&* 28. *dist.* 1. *de Consf.* II. Haereticos, eorumque fautores, & aeceptatores *Capp.* 8. *&* 13. *de haeret.* III. Omittentes per annum integrum confiteri, & communicari, praesertim in Paschate sine rationabili causa *Cap.* 12. *de Poenit. & Remiss.* IV. Occumbentes in duello ex Trid. *Sess. XXV. cap.* 19. *de Ref.* V. Vsurarios manifestos *Cap.* 4. *de usuris*. VI. Religiosos proprietarios, nisi in fine poenitentiam agant *Cap.* 4. *de statu Mon.* VII. Notorie excommunicatos *Cap.* 12. *h. t.* VIII. Sui ipsius culpabiles interemptores *XXIII. q.* 5. *Can.* 12. IX. Denique decedentes in notorio, ac certo peccato mortali *II. q.* 2. *Can.* 16.

TITVLVS XXV.

De Canonica Portione.

I. DVplicis portionis Canonicae mentionem faciunt Canones, *Episcopalis* nempe, & *Parochialis*; quia de Bonis defuncti datur vel Episcopo, vel Parocho. De prima nonnulla diximus in huius *lib. Tit. XXI. §. II.* & in iure Decretal. vestigia deprehenduntur in *Capp.* 14. *&* 15. *de Testament. & ult. volun.* ac etiam 16. *de Off. Ordin.* ubi haec portio, quarta mortuariorum appellatur; quare nonnisi animadvertendum occurrit ipsam de quibusdam Ecclesiae, vel pio alteri loco relictis ad certum usum destinatis percipere non licere Episcopo *Cap. fin. de Testam. &c.*

Cir-

Circa illius quantitatem nihil ab iure definitum est, nam aliquando medietas Episcopo adsignatur *Can.* 8. *X. q.* 1. aliquando tertia pars, ut ib. *q.* 2. *Can.* 25.

II. De Parochiali ergo praecipue sermonem instituimus; pro cuius clariori intelligentia breviter notetis velim, quod licet terrae fundus nondum benedictus, aut consecratus emi, & vendi possit, non minus ac ceterae profanae res; tamen pro loco semel benedicto, & auctoritate Episcopi ad Ecclesiasticam sepulturam iam destinato nihil prorsus exigi potest absque Simoniae piaculo *XIII. q.* 2. *Can.* 12. *& seqq.* ubi S. Gregorius M. in oppositam invehitur consuetudinem. Cuius doctrinam secuti sunt deinde Alexander III. in *Capp.* 8. *&* 9. *de Simonia*, & Honorius III. in *Cap.* 13. *de Sepulturis*. Vnde apparet multomagis prohiberi aliquid exigi pro ipsis exequiis, & funerali officio persolvendis.

Cum autem hisce Statutis, nequaquam reprobetur laudabilis, & a primis seculis recepta consuetudo faciendi in funeribus oblationes pro mortuis, proinde neque Clericis eas recipiendi potestas adempta est, imo quod Clericis vetitum est exigere, Laicis inculcatum est ut facerent, ac receptas offerendi consuetudines religiose custodirent *Cap.* 42. *de Simon.* & *laudatis supra Canonibus* ubi etiam decernitur ut Ordinarii locorum ad earum consuetudinum observantiam, intra terminos tamen a municipalibus pragmaticis definitos obligare possint fideles.

III. Ne ergo Parochialis Ecclesia, quoties defunctus Parochianus, aut in sepulcro Maiorum, aut in alio specialiter electo extra Parochiam sepelitur consuetis privetur subsidiis, statuerunt Canones, ut Parocho canonica portio tribuatur, ut dicitur *Cap.* 4. *De Sepulturis*, quae etiam *quarta Parochialis* appellatur *Cap.* 10. *eod.* vel *quarta funeralis*, ut in Trid. *Sess. XXV. de Ref. cap.* 13.

IV. Et quidem iure communi attento haec quarta sumenda est de omnibus, & solis rebus, quae vel per ultimam voluntatem, quoties fieri permittitur, ut alibi diximus, vel ratione funeris obveniunt alienae Ecclesiae, in qua Defunctus eligit sepulturam, aut in qua tanquam in sepulcro Maiorum sepelitur *Capp.* 1. 2. 8. 9. 10. *de sepult.* *& Clem.* 2. *eodem*. Pro iis ergo locis, ubi possunt hu-

iuſ-

TITVLVS XXVI.

De Decimis.

I. DEcimarum nomine hic venit quota illa pars fructuum, vel lucri liciti portio Deo debita, suis Ministris solvenda, ut ex *Cap. 16. hoc tit.* colligitur. Hinc Decimae quandoque dicuntur *Praediales*, quae scilicet ex fructibus praediorum praestantur, quandoque vero *Personales*, quae ex industria proveniunt, & artificio Personae, ut ex Mercatura, Venatione, Piscatione &c. quandoque etiam *Mixtae*, quae partim percipiuntur ex pretiis, partim vero ex industria personae, ut sunt Decimae fructuum ex pecoribus, apibusque &c. *Capp. 20. 22. & 28. h. t.*

II. Illud autem discriminis est inter praediales decimas, & personales, quod illae debentur sine impensarum, aut onerum deductione, cum sine deductione sint quoque fructus *Capp. 7. 21. & 22. h.t.* & debentur Parochiis, intra quarum fines praedia sita inveniuntur. Aliae vero solvuntur Parochiis, in quibus Sacramenta percipiuntur, sed deductis expensis, ut colligitur ex *Cap. 28. h.t.* Ratio est, quia decimae Personales percipiuntur ex fructibus civiliter consideratis, quorum nomine illi soli veniunt, qui deductis expensis supersunt *L. fructus 7. ff. soluto Matrimonio*; Decimae vero praediales de fructibus naturaliter consideratis, & quatenus ex re ipsa proveniunt.

Praeter has decimarum species in S. Canonibus saepe fit mentio decimarum *novalium*, quarum nomine illae veniunt, quae de agris olim infructiferis, & de novo ad culturam redactis praestantur. Denique decimae, de quibus est sermo, aliae sunt stricte *Ecclesiasticae*, quae Clericis solvuntur pro honesta eorum substentatione, intuitu laborum spiritualium eis debitae; aliae *laicales*, quae ad praedictum finem primitus institutae, sed ex concessione Ecclesiae ob iustam causam solvuntur Laicis.

III. Decimae olim in manu Episcopi solvebantur, qui eas Ecclesiae Ministris pro cuiusvis merito, & indigentia

in

in sua Dioecesi fideliter distribueret *XVI. q. 7. Can. 1.* Postea vero facta Parochiarum, & bonorum Ecclesiasticorum divisione statutum est solvendas esse Parochis *Capp. 29. & 30. h. t.* Qui tamen ex iisdem exactis quartam partem Episcopo exhibere debent *Cap. 16. de Off. Ord. & 4. de Praescriptionibus*, nisi contraria invaluerit consuetudo, aut praescriptio.

IV. Ad solutionem praedialium Decimarum tenentur nedum Parochiani proprii, sed omnes prorsus sive Christiani fuerint, sive Iudaei, vel Pagani, si praedia possideant intra eiusmodi Parochiae fines; propterea quod onus decimarum inest praediis ipsis, cum quo onere praedia transeunt ad quoscumque *Cap. 18. de usur. Capp. 4. 5. & 23. h. t. & Cap. ultimo §. Ceterum eod. in 6. & Can. terris, Can. Si quis locus & XVI. q. I.* & alibi passim. Adeout ex praediis locatis decimas Conductor, qui fructus colligit, solvere teneatur, cum decima sit pars fructuum, non praedii *Cap. Dilecti, & Cap. a nobis h. t.*

V. Ab obligatione solvendarum decimarum nemo eximitur, nisi I. ex privilegio Summi Pontificis *Cap. Pastoralis h. t.* II. Praescriptione immemorabili si sit absque titulo, cum titulo autem praescriptione quadraginta annorum *Capp. 4. 6. & 8. De Praescrip. & 1. eod. in 6.* III. Demum conventione, sive pactis, & voluntaria qualibet remissione *Cap. Quia circa de Privil. & Can. ult. XVI. q. 1.*

VI. Decimae Novalium debentur Parochiali Ecclesiae, in cuius finibus novalia exurgunt; Huiusmodi vero fines desumuntur ex limitibus agrorum *Cap. Cum contingat, & Cap. Quoniam h. t.* Si vero limites ad plures pertineant Ecclesias, his pro rata solvi debent Decimae; & si ex limitibus portio praediorum definiri non possit standum erit Episcopi sententiae, utri velit plus, aut minus attribuere, quemadmodum DD. ad *Cap. Pervenit h. t.*

VII. Illud interest praesertim inter huiusmodi decimas; quod praediales solvi debeant ex fructibus praediorum dumtaxat, quae intra limites sunt illius Parochiae, ex dictis *n. IV. h. t.* Personales ex fructibus etiam extra propriam Parochiam perceptis *Cap. 20. h. t. & fin. de Parochis*. Decimae vero Novalium non subsunt contrariae praescriptioni, quatenus si quis alicubi Decimas praescri-

scripserit, praescripsisse Novalium decimas non censetur, quia hae postea prodierunt. Imo si concedatur perceptio alicui Decimarum, concessae non intelliguntur Decimae Novalium, quia ipsae novam omnino habent causam *Cap. Cum contingat h. t.*

VIII. Decimas vero non solvens excommunicandus est, & Ecclesiastica sepultura privandus *Can. Omnes decimas XVI. q. 7. & Conc. Trid. Sess. XXV. Cap. 12. de Ref.*

TITVLVS XXVII.

De rebus Ecclesiae non alienandis.

I. Sicut Ecclesia, & Sacrum Ministerium perpetuum sit oportet, ita iugiter illaesum servetur pariter Ecclesiae patrimonium, seu bona temporalia, quae divino cultui, & Ministrorum substentationi sunt destinata *X. q. 8. c. 2.* Hinc in S. Canonibus res Ecclesiae alienari prohibentur, ubi alienationis nomine nedum venit actus, per quem perfectum rei dominium transfertur, ut accidit in donatione, venditione, & permutatione, sed etiam omnis alienationis species, ut est in Emphiteusi *Cap. 5. h. t.* & in longi temporis locationibus *Cap. 9. eod.* & quaelibet demum translatio dominii, non tantum directi, verum etiam utilis *L. ult. C. de rebus alienis non alienandis.*

II. Quamobrem alienari prohibentur omnino res immobiles, & mobiles praetiosae Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, nisi iusta exposcente causa, & servata iuris solemnitate, ita quod si secus fiat alienatio ipso iure sit irrita, & tum alienans, tum alienata recipiens bona praeter alias poenas sententiam excommunicationis incurrat *Capp. 6. 9. & seqq. h. t. 1. & 2. eod. in 6. & Clement.*, quae innovantur a Paulo II. in *Extrav. Ambitiosae h. t. inter Comm.*

Immobilium vero rerum nomine intelliguntur tam praedia, domus, & cetera huiusmodi, quae loco moveri non possunt, quam omnia iura, & actiones ad immobilia, ac

 uno

uno verbo omnia, quae immobilibus comparantur, ut praediorum servitutes, iura piscandi, aut venandi, annui census &c. *L. qui actionem ff. de reg. iuris*. Mobilia autem praetiosa intelliguntur, quae sunt de thesauro Ecclesiae, vel quae propter pretium, artem, seu antiquitatem conferunt Ecclesiae singularem splendorem, ut sunt aurum, argentum, gemmae, & huius generis alia. Horum omnium itaque alienatio sine praedictis supra conditionibus facta est omnino irrita; imo etsi ipsis interveníentibus Ecclesia per eam fuerit notabiliter laesa, competeret ipsi restitutio in integrum, & contractus alienationis foret rescindendus, *Cap. 11. h. t.*

III. Iustae autem causae alienandi res Ecclesiae sunt I. Vrgens necessitas, cui nonnisi per alienationem possit provideri *Clem. I. h. t.* ut si aere alieno gravata, nec alio modo queat ab eo onere liberari. II. Vtilitas evidens, & manifesta, cum scilicet ex alienatione maius commodum obveniat Ecclesiae *Capp. 3. 7. & 8. h. t.* III. Pietas, ut si ex bonis Ecclesiae redimantur captivi, alantur pauperes tempore famis &c. *Can. Aurum 12. q. 2.*

IV. Praeter iustam causam requiritur, ut diximus, iuris solemnitas. I. videlicet, ut tractatus Capitularis praecedat; idest Praelatus cum Capitulo, seu Conventu capitulariter congregato, ac unoquoque dicente quid sibi videtur, deliberet an iusta sit causa faciendi alienationem *Cap. 1. h. t. in 6.* II. Eiusdem Episcopi, seu Praelati, & Capituli, vel maioris, saniorisque partis consensus *Cap. 8. h. t.* Siquidem agatur de alienatione bonorum Ecclesiae habentis Collegium, alias sufficit consensus Rectoris, & Episcopi. III. Summi Pontificis beneplacitum, & expressa facultas *Cap. 2. h. t. in 6. & Extrav. ambitiosae cit.* unde in praxi obtinet, ut pro huiusmodi alienationibus facultas petatur a S. Congregatione Concilii.

V. Sine hac iuris solemnitate nihilominus alienari possunt Terrulae, Vineolae, & minoris pretii similia bona *XII. q. 2. C. 53.* Cui derogatum non est per Extrav. *Ambitiosae*, vel per Tridentinum, ut declaravit S. Congregatio teste Fagnano ad *Cap. 5. h. t.* ubi etiam adserit noluisse S. Congregationem decernere praedicti minoris pre-

tii

tii quantitatem, sed id consuetudini remisisse locorum, & prudentum arbitrio. II. Res immobiles ab antiquo in feudum, vel in emphiteusim dari solitae, quia Emphiteusi expirante, denuo in emphiteusim concedi possunt, dummodo fiat in Ecclesiae utilitatem, & eadem perseveret primae concessionis causa ex *ead. Extrav.* III. Locatio ad triennium dumtaxat. IV. Res mobiles corruptioni obnoxiae, quaeque usu consumuntur. V. Res nondum Ecclesiae per possessionem acquisitae, quibus iusta de causa absque iuris solemnitate ad alienationem requisita, potest renuntiari.

TITVLVS XXVIII.

De Peculio Clericorum.

PEculii nomine venit quidquid alicui labore, & industria partum est ex Pomponio, & Florentino *in L. Peculium ff. de Peculio*, quare, ut optime animadvertit Vlpianus in *L. Depositi §. 2. eod.* est veluti parva pecunia, quam scilicet servus, vel filiusfamilias ex donatione, vel mercatura, aut etiam ex servitio castris, vel quasi castris exhibito sibi parat. Pari quoque ratione Clericis peculium competere potest, ut patet ex *Can. Clericus, & Can. duo sunt XII. q. 1.* Quapropter sicut quidquid ex peculio acquirit servus in totum Domino cedit, & peculium ipsum servo moriente ad Dominum ipso iure revertitur *Inst. lib. 2. tit. Per quas Personas cuique acquiratur §. 3.* Ita peculium Clericorum, & per illud acquisita Clerico morienti, ad Ecclesiam pertinent iuxta Canonicam sanctionem *Cap. 1. h. t.* nec licet Clerico de iis testari *Cap. 9. de Testam.*

II. Verumtamen quia vetus haec disciplina postremis temporibus non parum fuit immutata, ut intelligamns quae bona in specie sub nomine peculii Clericorum veniant, animadvertatis oportet Clericorum bona iuxta communem tradi solitam divisionem quadruplicis generis esse posse, *Patrimonialia* nempe, *industrialia*, *beneficialia*, *& parsimonialia*. Prima sunt, quae Clericis haereditate, dona-

tione, Legato, aut alio consimili titulo obvenerunt. Industrialia, quae sibi acquisivit vel personali industria v. g. docendo, scribendo, aliisque operibus, quae ordinis clericalis non sunt, vel acquisivit ex ministerio clericali, puta ex eleemosyna pro Missae celebratione, Verbi divini praedicatione, Sacramentorum administratione, & similibus. Beneficialia, seu Ecclesiastica dicuntur Praebendae beneficiorum, aut etiam quotidianae distributiones. Parsimonialia denique sunt, quae Clericus parcius vivendo, cumulavit de redditibus beneficii.

III. Extra omne dubium est Clericos plenam potestatem habere in bonis patrimonialibus, & industrialibus, ex industria personae acquisitis, adeoque liberum ipsis manet prout maluerint de illis disponere, ut expresse habetur in *Cap. 9. de Testam.* Quapropter huiusmodi bona ad peculium Clericorum proprie non pertinent. Idem extendunt Canonistae recentiores quamplurimi ad bona industrialia ministerio etiam clericali acquisita, & ad parsimonialia, quae patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, non vero ecclesiasticis accenseri debere existimant, ita quod ad peculium Clericorum spectent dumtaxat bona Ecclesiastica, seu beneficialia, quae ex honesta, & commoda Clericorum substentatione supersunt.

IV. De hisce ergo Ecclesiasticis bonis, & intuitu Ecclesiae acquisitis testari Clericos vetarunt passim S. Canones, vetatque *Cap. 1. h. t.* quod Gregorii M. est, perperam Gregorio IX. attributum, quae disciplina duravit ad XII. usque seculum, fuitque confirmata in Later. Conc. sub Alex. III. relato in *Cap. 7. de Testam.* Verum idemmet Pontifex *Cap. 12. eod.* dicit, quod quamvis mobilia per Ecclesiam acquisita de iure ad alios transferri morientis arbitrio non possint; Consuetudinis tamen non improbandae est, ut de his aliquid conferatur Pauperibus, & religiosis locis, eisque etiam, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive extranei. Eo itaque tempore factum est, ut potuerint Clerici testari de bonis Ecclesiasticis mobilibus sub quibusdam appositis in dicto Capite moderationibus; quibus utique insistendo Paulus III. in sua Constitutione *Romanus Pontifex* decernit, ut Praelati, & aliae Personae Ecclesiasticae, quae facultatem testandi non habent,

bent, piis locis decimam dumtaxat bonorum partem relinquere possint. At Pius IV. in Constitutione *Grave nimis* propter abusum dictae facultatis quaelibet testamenta de Bonis Ecclesiasticis absque licentia Romani Pontificis facta nullius statuit esse momenti.

V. Attamen semel aperta via facile fuit consuetudinem induci, ut Clerici praesertim inferiores de bonis omnibus Ecclesiasticis tam mobilibus, quam immobilibus testarentur, nedum ad pias causas, sed etiam ad profanas; maxime cum vix discerni possint patrimonialia, & industrialia ab iis, quae acquisivit Clericus titulo Ecclesiae, unde satius fuit ea testamenta tolerare, & Clericorum conscientiae relinquere, quomodo de acquisitis ab Ecclesia disponant.

Dixi: *Clerici praesertim inferiores*; nam Episcopi absque Apostolico beneplacito, quod tamen passim obtinent, de bonis Ecclesiasticis testari revera non solent; quamvis id etiam non ubique obtineat, nec in omnibus Regionibus, ut ob defectum praedictae facultatis irrita censeantur ea testamenta. Et haec pro II. nostrarum Institutionum Canonicarum Libro dicta sint satis.



INSTITVTIONVM CANONICARVM LIBER TERTIVS.





Ostquam de Personis, ac rebus est actum, iuxta traditam iuris universi divisionem, de iudiciis nobis agendum superest. Et quia eorum duo potissimum sunt genera etiam in iure nostro, alia nempe ad privatorum negotia proprie ordinata, alia ad publicam vindictam; de primis in praesenti, de aliis in sequenti dicemus libro. Sit itaque

TITVLVS I.

De Iudiciis, eorumque divisione.

I. IVdiciorum nomine, ut optime ad hanc Rubricam monet Cuiacius intelligere hic haudquaquam debemus *res iudicatas*, quae lites, causasque componunt, dirimuntque; neque *actiones*, quibus ad lites instruimur, ac paramur, ut non raro in Pandectis usurpantur; sed iudicia impraesentiarum non dicuntur, nisi controversiarum, litiumque inter aliquos vertentium forenses disceptationes. Hinc inter varias Iudicii definitiones illa mihi probatur magis quam tradit Panormitanus, ut nempe sit: *legitima causae, seu controversiae apud Iudicem facta discussio*.

II. Ex variis radicibus varia sortita sunt iudicia & no-

nomenclaturas, & speciales iuris dispositiones. Et quidem ex *rebus*, seu *caussis* iudicium vel *publicum* dicitur, vel *privatum Inst. de Publ. Iud. & de Iustit. & Iur. §. Huius studii*; quibus addi potest iudicium *Centum-virale*, seu *Hastae*, Caussarum nempe graviorum, ut Tutelae, Vsucapionis, Haereditatis, Testamenti &c. quorum post Tullium *I. de Orat.* & Quintilianum *lib. IV. cap.* 1. meminit Plinius *lib. II. epist.* 14. ac *lib. VI. ep.* 12. Ex *Personis* etiam appellatur iudicium vel *paganicum*, vel *militare*; breviori enim tempore expediri solent lites Militum, quam Paganorum. Ex *litigantium voluntate* evadit iudicium vel *ordinarium*, quod coram Iudice Ordinario fit, vel *Arbitrarium*, seu *Compromissarium*, quod ab Arbitris exercetur *l. penult. C. de recept. Arbit.* Pariter ex *Principis Placito* erit iudicium vel *ordinarium* quoque, vel *extraordinarium*, quod coram Delegato initur *l. 2. C. de Dilat. & can. induciae III. q. 3. & Cap. quoniam de Probat.* Sunt quoque extraordinaria Iudicia illa, in quibus Iuris solemnitates & Ordo non observantur iuxta Pauli sententiam in *l. Actio de Neg. gest.*, ut accidit in *Summariis*, quae brevi tantum fiunt adnotatione, ut loquitur Imperator in *Novel.* 82. ad differentiam *plenariorum*, quae nonnisi iuris ordine servato absolvuntur. Ex *actionum diversitate* demum iudicium vel *Civile* nominatur, quod privata civium negotia respicit, sive *petitorium* ipsum fuerit, sive *possessorium*, vel *Criminale*, quod ad publicam vindictam instituitur.

In Christianâ tandem epochâ celebris alia accessit iudiciorum divisio, ut quaedam nempe *Ecclesiastica* sint, quaedam *secularia*; nam sicuti haec coram Iudice seculari agitantur; ita ea coram Ecclesiastico Magistratu, qui certam caussam iudicandam adsumit, vel quia iudicii materia non alium, nisi Ecclesiasticum Iudicem acclamat, puta, quia de rebus agitur spectantibus ad fidem, ceremonias, ritus Sacrorum &c. vel quia Personae iudicantur Ecclesiasticae, quas ad secularem iudicem trahi, nisi in quibusdam casibus, ut monuimus *in Tit. de Eccl. immunit.* non sinit fori, quo gaudent, privilegium.

III. In quolibet autem iudicio tres praesertim interveniunt Personae: *Actor* videlicet, *Reus*, & *Iudex*, ut habetur *cap. 10. de Verb. signif. §. In omni.* Actor ab agendo

dictus est ille, qui actionem intentat contra alium in causa civili; nam si agat in causa criminali *Accusator* appellatur. Reus a re, super qua convenitur, denominationem accepit, estque ille, contra quem in iudicio agitur. Iudex denique est persona, quae iurisdictioni praeest, atque Populo iuxta legis praescriptum, locique consuetudinem ius dicit *cap. 10. cit.*

IV. Tanquam Actores, & rei in iudicio stare possunt generatim omnes, paucis exceptis, qui iure prohibentur, ut sunt I. Pupilli, & minores sine Tutoribus, & Curatoribus *l. 1. & 2. C. qui legitimam personam standi in iudicio habeant*; Quibus accensentur quoque filiifamilias etsi Maiores, quoties proprio nomine agunt de bonis sive profectitiis, sive adventitiis *L. 6. §. Sancimus C. de Bonis, quae liberis*; Secus vero quoties nomine alieno, aut de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus causam tractant, in quibus etiam contra Patrem agere possunt *l. lis nulla ff. de Iudic.* Imo de iure nostro post XIV. aetatis annum legitime stare possunt in iudicio etiam absque Patris consensu in Causis spiritualibus, Matrimonii scilicet, Decimarum, vel beneficiorum *cap. Si annum 3. h. t. in 6.*

Prohibentur II. excommunicati maiori excommunicatione, qui Actoris partes agere non possunt, bene vero conveniri, ne ex sua malitia commodum reportent; debent tamen per alium interesse, & respondere, cum ad vetitam communionem admitti nequeant *cap. Intelleximus 7. h. t.*

Prohibentur III. furiosi, mentecapti, prodigi, & alii, qui aut rationis usu carent, aut per iudicis mandatum libera bonorum suorum administratione destituuntur; *l. 1. C. de curat. furiosor. & Prodig.* His etiam aequiparantur servi, seu mancipia, quorum actus iudiciales, propterea quod sui iuris non sunt, nullius habentur roboris, *L. Servus. C. de Iudic. & l. quod attinet ff. de Reg. Iur.*

Mulieres demum etsi in variis casibus in iure expressis ab Iudiciis non arceantur, si fuerint tamen Claustrales nequeunt e Monasterio extrahi ut iudicio se sistant *cap. Mulieres 2. h. t. in 6.* Item cum nec Capitulum sine Praelato, nec Praelatus sine Capitulo res Monasterii alienare possit ex *can. 7.* Concilii I. Cabilon. constetque quod,

qui

qui rem alienare nequit, nequeat eam in iudicium deducere *l. ait Praetor ff. de iure deliberandi*; ideo nec Conventus sine consensu Abbatis, nec Abbas sine Conventu potest iudicium agitare de bonis, quae sunt ipsis communia *cap. causam 9. & cap. deputati 16. h. t.* Possunt nihilominus quibusdam in casibus etiam sine Praelati licentia Religiosi forum adire, ut v. g. si de Prioratu, Parochia, aut alia agatur administratione, quam in titulum habeant *arg. cap. 16. h. t.* vel si iniuste fuerint gravati, ut colligitur ex *cap. 22. de Rescript.*

V. Iudex autem vel *Ordinarius* est, vel *Delegatus*, seu *extraordinarius*. Ordinarii nomine ille passim intelligitur, qui iure suo, & ratione officii, vel dignitatis iurisdictionem exercet *l. more maiorum ff. de iurisdict.* Inter Ordinarios Ecclesiasticos Iudices principem locum obtinet Romanus Pontifex, nedum propter ipsam ordinariam iurisdictionem, sed propter illam quoque Potestatis, qua fruitur, plenitudinem *cap. 4. de concess. Praeb.* Deinde Patriarchae, Primates, Metropolitae, & Episcopi in suis Provinciis, & Dioecesibus; imo etiam Vicarius Episcopi habens generale mandatum, Capitulum quoque, seu Vicarius Capitularis sede vacante, & alii inferiores Praelati respective ad suos Subditos.

VI. Iudex vero Delegatus est, qui iurisdictionem non ratione dignitatis a lege habet, sed ex nuda Superioris commissione ad speciale aliquod negotium. Delegare quidem Iudicem possunt omnes Ordinarii Iudices, ad quos causae definitio de iure spectat *cap. 7. de off. ord. in 6.* licet nequeant totam suam iurisdictionem inconsulto Principe alteri demandare, ut docent DD. passim; quia non tam censerentur delegare, quam proprio officio se abdicare, quod propria auctoritate fieri nequit *l. penult. ff. de Off. Praef.* Videte Fagnanum in *Cap. cum causam de Appellat.*

Delegatus huiusmodi Iudex quamvis revera subdelegare nequeat, ut patet ex *l. More maiorum ff. de Iurisd.* & ex *cap. Cum causam cit.* tamen Delegatus Principis causam alteri subdelegare poterit *cap. 2. de Off. Leg. in 6.* & *Clem. un. eod.* quoad eas saltem, quarum gravitas propriam illius praesentiam non expostulet, aut illius Personae industria non fuerit specialiter electa, *cap. si pro de-*

bi-

bilitate, *& cap. fin. de off. Iud. deleg.* & *cap. Is cui eod. in 6.* Et haec de generica Iudiciorum notione, in sequentibus de eorumdem initio, medio, & fine.

TITVLVS II.

De Procuratoribus.

I. QVamvis apud Romanos olim haud liceret per Procuratorem agere, nisi pro Populo, libertate, vel Tutela, quibus ex lege Hostilia accessit postea furti dumtaxat actio *Inst. de his per quos agere possumus*; attamen consuetudine demum obtinuit, ut unusquisque in suis negotiis Procuratorem constituat *l. 1. §. Vsus ff. h. t.*

II. Procurator igitur in genere est, qui aliena negotia Domini mandato administrat *l. 1. ff. eod.* quapropter duo in Procuratore desiderantur omnino; primum, quod alterius nomine agat, cum nemo in re propria Procurator existat *l. licet §. Is qui ff. eod.* Secundum, quod sui Domini mandatum legitime confectum habeat ex D. Gregorio M. in *cap. alia quidem 1. h. t.* Si enim illud non adest, aut insufficiens est, nemo pro alio ad agendum in iudicio admittitur, etiamsi caveat Dominum ratum habiturum *l. Pomponius C. h. t.* Imo ne iudicium reddatur illusorium Iudex ex proprio officio, parte quoque non opponente, repellere quiverit Procuratorem mandato destitutum.

III. Procurator legitime constitutus licet egredi nequeat fines proprii mandati, potest nihilominus mandatum interpretari etiam quoad aliqua in eo minime expressa, *cap. petitio h. t.* dummodo illius generis non fuerint quae speciale requirunt mandatum, ut sunt delatio iuramenti, transactio, in integrum restitutio &c. *cap. quia h. t. in 6.* Quinimo mandatum generale ad negotia extendi etiam potest ad iudicia *cap. qui generaliter ibidem*; licet non possit ullo modo ad contrahendum Matrimonium *cap. Procurator 9. ib.*

IV. Vt quis legitime alterius procurationem accipiat,

piat, quoties ad agenda negotia eligitur annum XVII. aetatis expleverit necesse est; quoties vero ad lites deputatur, requiritur etiam, ut XXV. excesserit *cap. 5. §. fin. h. t. in 6.* Quod tamen maxime cavendum est, ne sit expresse ab iure prohibitus *cap. 1. ib.* Prohibentur sane I. Excommunicati, Pupilli, Minores, & generatim omnes, qui pro se in iudicio stare non possunt. II. Infames pro Personis, aut negotiis ecclesiasticis ex Glossa ad *can. Infamis III. q. 7.* licet iure Caesareo spectato infamiae exceptio contra Procuratorem non admittatur *Inst. lib. IV. de Except. §. fin.* III. Religiosi sine licentia sui Superioris, etiamsi per alium Religiosum proprii, vel alterius Monasterii quis fuerit constitutus, nisi pro suo in eadem lite consorte *Clem. Religiosus h. t.* IV. Clerici omnes in S. Ordinibus constituti saltem pro foro seculari, rebusque temporalibus, sicuti & advocati partes agere prohibentur coram laico iudice, nisi pro se, suaque Ecclesia, aut pro pauperibus id praestent *cap. 1. de postuland.* V. Feminae, *l. neque feminae ff. h. t.* nisi agant in causa propria, vel Parentum, qui seipsos defendere prae infirmitate nequeunt *l. feminis ff. eod.* VI. Milites ne ea occasione a militia avocentur *l. Militem ib.* VII. Potentes *l. 1. C. Nec licet Potentioribus*, idque ne Procuratoris potentia Iudicem deterreat. VIII. Criminis Capitalis rei antequam suam purgaverint innocentiam *l. Reum C. h. t.* Denique qui Reipublicae causa absfuturi, aut Magistratum inituri sunt, quique perpetuo morbo tenentur, aut sunt inviti *l. neque feminae cit.*

V. Ad idem negotium non unus dumtaxat potest adsumi Procurator, sed etiam plures, dummodo dentur eodem tempore *Cap. Si duo h. t. in 6.* Nam secus, per ultimum constitutum semper censetur prior revocatus *l. Si quis ff. h. t. & cap. non iniuste eod.* Ex pluribus vero in solidum datis, qui negotium prius occupavit, illud prosequi debet, aliis omnino exclusis. At si contingat, quod is propter emergens aliquod impedimentum ab incaepto negotio remotus fuerit, nequit cessante etiam impedimento idem negotium adsumere cum exclusione alterius, qui ei successit *dict. cap. si duo §. Sane.* In causis vero spiritualibus nempe Electionum, Postulationum &c. ex pluribus

bus Procuratoribus in solidum datis eligi ab Superiore debet ille, sive Clericus, sive Laicus fuerit, qui maiori pollet idoneitate *cap. non indiscrete h. t. in 6.*

VI. Tria specialiter spectant ad munus Procuratoris. I. Non excedere fines mandati. II. Si velit alium Procuratorem sibi substituere, id non exequi, nisi post litem contestatam *cap. is qui h. t. in 6.* III. Denique in casu gravaminis ad Superiorem appellare, quod praestare tenetur semper, nec opus habet, ut de sui Domini consensu doceatur, nisi ex peculiari aliqua iusta causa excusetur *Dist. cap. iniuste.*

VII. Omnes vero, qui plenum rerum suarum dominium habent Procuratores pro se dare possunt. Quamobrem constituendi etiam Procuratorem ad lites iis est facultas, qui per se ipsos ad agendum, vel se defendendum stare in iudicio possunt iuxta *Reg. LXVIII. Iuris in 6.* quae sane locum habet in omnibus quibuslibet causis, iis tantum exceptis, quae ad publicam vindictam spectant, & criminales passim appellantur, *Can. in criminalibus V. q. 3. cap. 5. h. t. & 15. de accusation.* In his enim cum de poena capitali, aut alia, quae relegatione sit maior, agatur nisi actor, & reus per se ipsos agere tenerentur, facile iudicium redderetur illusorium, quia pars, quae succubuerit in iudicio fugâ sibi consulens sententiae executionem declinaret.

VIII. Procuratorem constituere nemo regulariter cogitur, neque contumax reputari debet, qui legitime impeditus noluit per Procuratorem comparere *cap. querelam h. t.* Verum quibusdam in casibus id iura praecipiunt. I. quidem cogitur qui citatus ad Iudicem in causa, quae moram non patitur, diuturna detinetur infirmitate ex eod. *cap. & L. Quaesitum ff. de re iudic.* II. qui potentia, aut dignitate ita pollet, ut ipsius persona terrori futura esset Iudici, aut parti adversae *l. quicumque C. h. t.* III. Monasterium, aut Capitulum, quando praesertim contra ipsum agitur *cap. cum venisset de in integ. restitut. & un. de Sindic.* IV. Cogitur demum excommunicatus quoties tanquam reus ad iudicium vocatur, ne commodum a malitia percipiat *cap. intelleximus de Iud. & cap. fin. h. t.*

IX. Ex

IX. Ex Iuris regula dissolvi aliqua possunt eodem, quo colligantur, modo; quare expirat I. Procuratoris munus per mutuum constituentis, & constituti consensum. II. Finitâ instantiâ per sententiam definitivam, cum nemo sit gravandus ultra id, ad quod se obligavit. III. Per mortem constituentis, si tamen res adhuc integra fuerit, vel etiam si non integra, quoties moriente per civilem, aut naturalem mortem Praelato, aut Ecclesiae Rectore, qui illum constituerat, Successor iusta de causa mandatum revocari iusserit *Clem. Procuratorum h. t.* IV. Expirat tandem per legitime factam revocationem, & ipsi intimatam. Circa hoc tamen notetis velim, Dominum re integra semper posse Procuratorem revocare etiam absque causa, secus vero post litis contestationem; nisi nova emergens rationabilis causa id ipsi suaserit *cap. quamvis h. t. in 6.* quod si evenerit, post revocationem lis procedere in eo debet statu, in quo reperitur *cap auditis h. t.*

X. Huiusmodi autem revocatio, si fiat, Iudici, & Adversario significetur oportet, aliàs rata haberentur, quae ab Procuratore gesta fuerint *cap. 4. & 13. h. t.* Quare Procurator ad litem constitutus ob Domini absentiam non censetur revocatus, si Dominus litem per se iterum prosequatur; sed quoties contigerit Dominum abesse, causam ipse readsumet *cap. Si quem h. t. in 6.* Quinimo quamvis sententia post Procuratoris revocationem lata praeiudicium non adferat Domino *cap. ex insinuatione h. t.* neque obtentum ab eo rescriptum prosit *cap. in nostro eod.* Nihilominus si post conclusionem in causa demum innotuerit revocatio, opportune fertur sententia.

TITVLVS III.

De Pactis, & Transactionibus.

I. QVoniam exoptabile in Republica, optimumque foret, quod ab dispendiosis litibus se temperarent Cives, merito ius nostrum praesertim hortatur eos, qui causas habent, ut ad pacta potius, & transactiones veniant,

ant, vel declinent saltem ad Arbitros, quam in iudiciis agant *cap. ex parte de Transact.* quapropter antequam ad horum Ordinem exponendum accedamus, nonnulla de iisdem a lite discedendi modis sunt nobis dicenda.

II. Pactum igitur a verbo *paciscor* derivatum, non est, nisi *duorum, vel plurium in idem placitum consensus L. 1. §. 2. ff. de Pactis*. Quapropter satis distinguitur a Pollicitatione, quae est solius offerentis promissio *l. 3. ff. de Pollicit.* Ex pactis vero huiusmodi quaedam dicuntur *legitima*, seu vestita, quae scilicet ab civili iure adprobantur, & cum nomine causam quoque producendae obligationis habent, ut emtio, locatio, mutuum &c. quia veluti stipulationis veste induta actionem producunt in iudicio, & proprie appellantur etiam contractus. Aliqua vero dicuntur *nuda*, quae scilicet ab iure proprium non habent nomen, neque causam producendi obligationem, sed tantum conventionem, vel exceptionem *l. Iurisgentium 7. §. Sed cum ff. eod.*

III. Sex potissimum modis vestiri possunt pacta ex Glossa in laud. *leg. §. Quinimo*, nempe re, verbo, litteris, consensu, coherentia contractus, & rei interventu. Quare inter pactum simplex, & contractum hoc potissimum adsignatur discrimen, quod pactum ex natura sua nec nomen, nec causam habet, contractus tamen utrumque, ut supra dicebamus. Ex pactis vero vestitis, seu potius Contractibus aliqui sunt nominati, speciale scilicet nomen in iure habentes, ut emtio, locatio &c. aliqui etiam innominati, quos nempe ius non speciali, sed generali tantum nomine notavit, & ad quatuor classes revocantur in *l. Naturalis ff. de Praescript. verbis*, nimirum: Do, ut des: Facio, ut facias; Do, ut facias; Facio, ut des. Hi ergo quoties nulla stipulatione, chirografo, aut rei traditione fulciuntur locum poenitentiae relinquunt, altera etiam parte non consentiente *l. 5. C. de act. & oblig. Inst. lib. 3. de Litt. oblig. l. 1. ff. de verb. oblig. & l. Omnes C. de contrahend. stipulat.* Nisi tamen I. alterutra pars promissum impleverit, cui tantum poenitere licebit, non vero alteri, quae actione ex *praescriptis verbis* conveniri poterit *l. Si pecuniam ff. de condict. causa data*. II. Nisi iuramentum intervenerit *l. ut Iurisiurandi ff. de Opersb.* III. Demum

mum nisi lex expresse adstiterit, seu actionem ex pacto etiam nudo expresse concesserit, ut ex promissione dotis praestandae *l. ad exactionem C. de Dotis promissione*.

IV. Licet de iure naturali, & in foro conscientiae ex pacto simpliciter nudo oriatur obligatio *arg. can. ad praedicandum XXII. q. I.* attamen ex iure nostro nullam actionem, aut obligationem in externo foro oriri censent melioris notae Canonistae; cum nullibi id reperiatur expresse statutum in Sacris Canonibus; & idem prorsus militet hic finis, propter quem ius Caesareum actionem ex cuiusmodi pactis non permittit; minus recte ergo quidam eam inducere tentant, praesertim cum alia non desint media, ut quis stare cogatur promissis, sicut videre est in *cap. 3. h. t. fin. de for. comp. & 13. de Iudic.*

V. Pacisci possunt quicumque iure, aut naturâ non prohibentur, ut qui pro se stare in iudicio, aut Procuratorem constituere nequeunt. Verum pacta locum non habent, nisi fiant de rebus honestis, & possibilibus, quae tamen in hominum commercio sunt. Hinc pacta contra bonos mores inita, aut de rebus sacris, & religiosis nullam habent firmitatem *cap. ult. de Pactis*.

VI. Transactio, qua plerumque forensia iudicia vitantur est *rei dubiae, nec finitae conventa decisio, aliquo dato, accepto, vel promisso, l. 1. ff. de Transact.* Quare si fiat post latam sententiam ignoratam a parte victrice, nullius momenti esset, nisi forte interposita fuerit appellatio. Haec confundi non debet cum proprie dicta compositione, per quam gratis, & amicabiliter litigantes a lite discedunt.

VII. Transigere possunt qui pacisci, atque de iis omnibus, de quibus, & eo modo, quo pactum inire. Per transactionem legitime initam litibus motis, sive movendis ita finis imponitur, ut amplius reviviscere non possint, etiamsi nova Instrumenta, vel testes exhiberentur, *cap. Sicut grave de Transact. & l. fratris C. eod.* Cum ipsa non minorem vim habeat, ac res iudicata *l. non minorem C. eod.* quapropter ad successorem transit, & quidem semper si fuerit haereditarius, si vero succedat ex officio, quoties Superioris auctoritas intervenerit. Videte *cap. 5. de Transact.*

TI-

TITVLVS IV.

De Arbitris.

I. Arbitri quamvis frequenter a Magistratu, vel Iudice Pedaneo ad lites dirimendas dari soleant, qui & necessarii appellantur *l. Apertissimi C. de Iudic.*, *& l. Si ab arbitrio ff. qui satisdat. cog.* Attamen hic proprie agitur de Arbitris receptis ex partium voluntate, compromisso, & mutua stipulatione constitutis, qui Iudicum Ordinariorum morem imitantur ex Paulo in *l. non distinguemus §. Item C. de recep. Arbit.* Ecclesia quoque hoc iudicandi genus adprobavit quammaxime, cum facilior tali pacto ad dirimenda civium dissidia praeparetur via, ut adfirmant PP. Carthag. III. & Milevit. Syn. apud Grat. *can. ab Iudicibus*, *& can. Sane II. q. 6.*

II. Quia ergo arbitria ad Iudiciorum morem sunt redacta *l. 1. ff. h. t.* ideo sicuti quivis iure non prohibitus potest ad Iudicis Ordinarii Officium adsumi, ita eligi a fortiori in arbitrium *l. Si Pupillus ff. eod.* Imo aliquando etsi nequeat quis esse Iudex Ordinarius, nihilominus haud vetant iura, quin fieri arbiter possit; quare optime Duarenus cum aliis existimat incapacem Filium non esse, ut in causa Patris arbitrium exerceat, neque interest cuius sint conditionis *l. Paedius ff. de receptis qui arbit.*

III. De iure tamen civili excluduntur ab Arbitri officio servi, infames, Pupilli, minores xx. annis, dict. *l. Paedius*, *& l. Cum lege ff. eod.* ex Iure autem Canonico excommunicati, furiosi, muti, surdi, feminae iurisdictione destitutae, & religiosi *cap. Significasti de Sent. Excom. cap. Dilectus h. t. & can. praesentia XVI. q. 1.* Laici etiam, qui licet in causis temporalibus eligi a Clericis ad arbitrandum possint, prohibentur tamen in causis spiritualibus, nisi de licentia Episcopi id fecerint, *cap. contingit*, *& cap. per tuas h. t.*

IV. Non omnibus vero libera datur in Arbitros consentiendi facultas, nam omnes, qui alienandi facultate carent,

rent, neque arbitros eligere possunt, ita Servi *d. l. Non distinguemus §. Servi*; Impuberes absque Tutoris auctoritate *l. Idem §. Is ff. h. t.* Minores, Prodigi, & Furiosi sine suis curatoribus. Ob eandem rationem compromittere non possunt Possessores Maioratuum, quibus non adest facultas eos alienandi, quod extenditur etiam ad Emphyteutas sine Dominorum consensu, & iuxta probabiliorem sententiam ad feudatarios super rebus feudalibus. His quoque adcensendi sunt Canonici, & Beneficiarii, cum sint administratores dumtaxat beneficiorum, quae possident *cap. 3. h. t.* Demum compromittere nequeunt exempti super iure exemtionis *cap. cum tempore h. t.* neque in praeiudicium iuris electionis *cap. cum olim eod.*

V. De causis omnibus compromitti potest, iis exceptis, quae ob sui gravitatem, & praeiudicii periculum maiores Iudices exigunt, ut sunt causae restitutionis in integrum, dissolutionis Matrimonii, servitutis, aut libertatis, & causae criminales criminaliter motae *cap. 9. de in integ. rest. l. fin. ff. de priv. delict. & cap. exposita h. t.* quemadmodum causae iam decisae, etiam circa dubia emergentia, quae sententiae executionem impedire possunt *d. cap. exposita*.

VI. Compromissum fieri potest in unum, vel plures Arbitros sive praesentes, sive absentes, esto ubi plures fuerint consultius existimatur eos eligi in dispari numero, ut facilius maioris partis arbitrium obtineatur iuxta Regulam in *cap. fane h. t.* traditam; quod si omnes ab se invicem discordent in taxanda v. g. poecuniaria quantitate, minima quantitas erit attendenda, in quam omnes conveniunt *cap. 1. h. t.* Praesertim cum non satis ab iure probetur *l. item si unus §. Si in duos ff. de receptis qui arbit.* compromissum in plures sub hac formula initum: *ut in casu discordiae eligatur Tertius per eosdem, vel per alios*; quamvis in praxi, quemadmodum notat Rebuffus in *Tract. de Arbit.* iam obtinuerit, ut si fiat habeatur ratum. Demum quando ab Arbitris ferenda est sententia, seu laudum, iure Caesareo cautum erat, ne altero eorum absente ceteri ad ipsam procederent *l. 18. ff. eod.* Verum ex iure nostro satis est si ille fuerit legitime citatus *cap. 2. h. t. in 6.*

VII. Quia vero ab sententia Arbitri compromissarii appellare neutiquam licet *l.* 1. *C. de recep. Arbit.* accidit saepe, ut compromisso poena adiiciatur solvenda ab eo, qui laudo non steterit. Quoties ergo ita inter compromittentes convenerit; & iuramentum quoque appositum fuerit de laudo servando, adversus resilientem nedum datur actio in poenam statutam, sed etiam in rem ipsam, *cap.* 2. *de Pact. in* 6. quod extendunt DD. passim ubi adiuncta fuerit clausula: *Rato manente pacto*; secus vero, si iusiurandum non interfuerit; tunc enim non nisi ad poenae solutionem resiliens tenetur *l.* 2. & 27. *ff. h. t.* & *cap.* 9. *eod.*

Quod si nulla fuerit adiecta compromisso poena, & laudum expresse receptum nondum fuit a partibus, nec decem dierum lapsu tacite homologatum, quia alterutra pars boni viri expetit arbitrium; tunc ex eo datur actio in expensas lite factas, vel faciendas contra partem a laudo resilientem *cap.* 9. *cit.* & *ead. l.* 27. §. *fin.* At si vel expresse receptum, vel tacite homologatum fuerit, actio erit in factum ad petendam coram Iudice ordinario laudi executionem, *tit. cap.* & *l.* 4. *C. de recep. Arb.*

VIII. Cum ex compromisso inito Iudicis ordinarii iurisdictio, & causae cognitio, si quae forte apud ipsum incoeperat, suspendatur ex *Clem.* 4. *de Appell.* ut illud revera factum esse probari queat, solemni compromittentium stipulatione, coram Notario, ac testibus fieri debet; & eius effectus erit, quod causa ad iudices compromissarios, seu Arbitros penitus devolvatur. Ipsorum vero arbitrium quia legibus compromissi initi contineri debet, tangere nequit nisi ea, super quibus fuit compromissum, vel quae causae principali necessario connectuntur; quare esto coram Iudice ordinario habeat locum reconventio, nequit tamen ex *cap. Cum dilectus* 6. *h. t.* fieri coram arbitro; qui de cetero debet in omnibus ordinem iudicialem servare ex *d. l.* 1. *ff. h. t.*

IX. Per prolationem demum sententiae definitivae expirat compromissum, & omnis Arbitri potestas; cum ad ipsum non spectet laudi executio, sed ad Iudicem ordinarium *l. quia ff. h. t.* & *l. Cum antea C. de recept. Arb.* Quinimo expirare poterat ante latam sententiam, si res,

 de

de qua agebatur, pericrit, vel Partes super eadem re coram ordinario Iudice comparuerint, aut acceptilatione, vel pacto in contrarium celebrato, aut elapso tempore ad arbitrandum definito; ac tandem morte omnium, vel unius Arbitri, aut compromittentis, cum ad haeredes non transeat compromissum *cap. Compromissum*, *& cap. ex parte h. t.*

X. Praeter huiusmodi compromissarios Arbitros, alii etiam sunt, ad quos recurrere solent litigantes, & arbitratores vulgo appellari consueverunt. Differunt vero ab iis, I. Quod extraiudicialiter procedunt, caussamque de bono, & aequo componunt, non ad strictam iuris normam, ut illi *l. 3. §. Recepisse ff. de recept. qui Arb. & cap. 2. cum Glos.* II. Quod Arbitratoris laudum etiamsi notoriam iniquitatem, aut manifestam doli praesumtionem non habeat, quoties gravem laesionem contineat reduci potest ad arbitrium boni viri *l. 27. §. Stari ff. eod. cap. 2. de Praesumt. l. 3. c. de recept. arb. & l. 26. §. Arbitrorum ff. Pro socio;* quamvis in praxi, ut observat Rebuffus loco supra laud. ab utrâque passim fieri soleat reductio.

De Arbitris necessariis non est hic quod verba fecerim, cum in omnibus fere iudicibus delegatis aequiparentur, ut videre est in *cap. 39. de off. Iudic. deleg. & cap. 11. eod. in 6.*

TITVLVS V.

De Oblatione Libelli.

I. Libelli Oblatio Editionis actionis loco successit, de qua in Pandectis *Tit. de Edendo*, Libelli vocem apud veteres Ecclesiasticos varie usurpatam reperimus; charta etenim, in qua haeretici resipiscentes Fidei professionem scribebant, & Episcopo dabant libellus dicebatur *can. 7. I. Nicaen.* apud Socratem *lib. 4. cap. 12. can. 46. Trullan. & act. 6. VIII. Oecumenicae Synodi*. Posterioribus vero seculis chartae contractuum, seu cuiusvis pactionis generis, ut Emphytheusis praecariae, vel praestariae li-

libelli dicti fuerunt, de quibus saepe fit mentio in Chronico Casinensi. Item breves Scripturae, quibus publice alterius fama laeditur, libelli nominantur in Pandectis *Tit. de Famosis libell.* Postremo tamen Scripturae omnes, quibus praecipue preces Principi, vel Magistratui exhibentur, aut desideria exponuntur libelli dici etiam consueverunt. Secundum quam significationem.

II. *Libellus* hic proprie sumitur *pro brevi scriptura claram Actoris intentionem continente*; sublata enim antiqua Romanorum formula designandi, seu edendi unam ex actionibus in albo contentis, huius vicem hodie gerit libellus, qui est vel *conventionalis* locum obtinens in caussis ad privatas civium iniurias pertinentibus; vel *querimonialis*, seu *accusatorius* caussas prosequens ad publicam vindictam devolutas.

III. In libelli igitur efformatione praeter *Iudicis*, *Actoris*, & *rei* nomina, interveniat quoque necesse est *facti narratio*, *medium concludendi*, & ipsa *conclusio*. Primo siquidem narrari debet factum cum suis omnibus circumstantiis, ut Iudex facile comprehendat quid petatur, ac integrum petitionis statum, deinde proponendum est concludendi medium, ut evidenter constet quo iure petatur, & vera petendi causa. Qua in re notanda est disparitas inter actiones, an videlicet in Personam sint, an autem in rem; cum pro diversa actione, diversa evadat quoque causa petendi proxima, vel remota; nam in actione personali, causa proxima est obligatio, remota vero contractus, ex quo nascitur obligatio; Quare Actor in ea utramque causam exprimere tenetur v. g. Peto mille ex contractu mutui. In reali tamen actione, quia proxima petendi causa est dominium, remota vero titulus, sufficit si exprimatur proxima, dummodo in specie designetur, v. g. peto domum, quia mea est, *cap. Dilecti*, *& cap. Significasti h. t.* & Gloss. in *l. 1. ff. de edendo*.

Postremo quamvis in libello criminali sufficiat accusationem proponere, quia lex, quae certis delictis suas poenas decrevit, sufficienter concludat; nihilominus in libello civili conclusio est omnino necessaria, ut distincte indicetur quid, & quantum petat Actor. Imo solet etiam addi clausula: *Super his omnibus peto mihi ius, & iusti-*

tiam

tiam administrari omni meliori modo & forma, qua de iure statuto, vel consuetudine fieri potest; ut nempe per eiusmodi clausulam petiisse intelligatur Actor fructus, & expensas &c. quamvis de omnibus non expresse meminerit in sua petitione.

IV. Libellus denique, qui in scriptis porrigi debet *cap. Hincmarus* 1. *h. t.* post litis Contestationem non potest amplius per Actorem mutari, nisi velit cum expensarum refusione ab priori libello, & instantia penitus recedere, novumque offerre. Emendare vero eumdem, vel declarare si quid obscurum contineat licitum est ad sententiam usque.

V. Oblati libelli effectus sunt I. quod sententia ad normam petitionis in libello formatae feratur. II. quod secuta citatione rem faciat litigiosam, praescriptionemque interrumpat. III. Quod post porrectum per Iudicem reo libellum actor prosequi tenetur litem, & ad finem perducere, si reo intersit quod lis finiatur, quia de expensis dolet, nisi Actor eas refundere paratus sit.

TITVLVS VI.

De Citatione.

I. ACcepto libello, ubi cognoverit Iudex aptum esse, & iustam continere petitionis Causam statim rei Conventi Citationem decernit; quae Citatio olim in *ius vocatio* appellabatur, unde Tituli in Pandectis *de in ius vocando; si quis in ius vocatus &c. in ius vocati, ut eant &c.* Quapropter satis recte definitur ab I. C. *Actus legitimus, quo quis mandato Iudicis iuris experiundi causa in Iudicium vocatur*. Eaque adeo necessaria est in iudiciis, ut nullatenus omitti queat; spectat enim ad ius naturae defensio, & quod nemo inauditus condamnetur.

II. Dividitur Citatio in *Realem* & *Verbalem*; prima apud Veteres fiebat etiam per manus iniectionem in eum, qui vocatus in ius ire nollet; quod citationis genus in Criminalibus proprie locum habet; in Civilibus vero nonnisi quando debitor est fugitivus, aut de fuga suspectus,

& haec tria intervenerint, nempe I. debitum omnino liquidum vel chirografo, vel publico instrumento, vel testibus. II. integritas fidei, quia debitor tempore contractus diffamatus non erat tanquam impotens ad solvendum. III. Suspicio fugae probabilis, & adserta iuramento saltem Creditoris, *l. non est singulis ff. de reg. Iur.* Quinimo debitor incaute sua libertate spoliatus ante omnes actus relaxari debet *arg. l. Pleriq. ff. de in ius vocando.*

III. Verbalis autem Citatio est quoties Iudex per apparitorem, aut nuncium significat reo, ut stato die in iudicium compareat; Verbalis aeque reputatur sive oretenus id fiat, sive per praeconem, tubam, aut campanam; sive etiam appositis publicis edictis, ut contingit quoties aliter reus in ius vocari nequit, quia latitat, vel vagabundus errat, aut quia contradictores sunt incerti. Haec vero Citationis species etiam *edictalis* nomine appellari ab iure nostro consuevit aliquando, *Clem. un.*, & *cap. ubi periculum de Elect. in 6.*

IV. Rursus Citatio est vel *iuris*, cum ipsa res terminum ad aliquod faciendum statuit, quo elapso quis damnum incurrit, *cap. I. de appell. in 6.* vel *hominis*, cum quis mandato Iudicis, ut diximus in ius vocatur.

V. Demum eadem Citatio est vel *simplex*, vel *peremtoria*; simplex, quae in ius vocatum non prius contumacem reddit, quam iusto tempori intervallo, tribus nempe vicibus facta fuerit. Olim siquidem decem dierum periodo absolvebantur singulae vices *Auth. qui Semel*, *& l. tres denuntiationes C. quomodo, & quando Iudices*, *ac l. tertium ff. de Iud.* hodie vero dierum triginta *l. nonnunquam in fin. ff. de Iudic. cap. consuluit de off. deleg. & cap. 1. de Feriis*. Peremtoria vero citatio dicitur, quae addità clausulà *peremtorie* instar est omnium simul simplicium, quarum spatium ita coarctat, ut si praefinita die citatus non comparuerit contumax habeatur *d. l. nonnunquam*, *& cap. 22. de accus.*

VI. Vt huiusmodi Citatio legitime facta habeatur, exprimat I. necesse est Iudicis nomen, ut qui vocatur in ius dignoscat an ab Iudice competente, an ab Ordinario, vel delegato fuerit ipsa decreta, cum incompetenti Iudici, & delegato ante delegationis ostensionem, nemo pare-

re

re teneatur *cap. fin. de Const. n. 6. & cap. 31. de off. Iud. deleg.* II. nomen, & cognomen rei, qui in ius vocatur *cap. 34. & 36. de rescript.* III. nomen, & cognomen Actoris; nam proprio motu citationem decernere non debet Iudex *arg. cap. 19. de For. Comp.* ut notat Abbas. IV. Causam saltem in genere, ob quam quis citatur; imo consultius fieret libellum Citationi inserendo, ut inspiciat reus an in iudicio contendere sibi expediat *cap. praeterea de Dilat.* V. Iudicii locum, quò reus ire debet *cap. ult. de rescript. & l. si ut proponis C. Quomodo, & quando Iudex.* VI. denique terminum, sive statum comparendi diem.

VII. Debet etiam Citatio, ut vim habeat, mandato Iudicis fieri *l. sed si haec §. Fin. ff. de in ius vocando*; & per apparitorem praesentari reo, vel ipsi, vel ipsius Pocuratori, aut saltem in domum propriam deferri, aut alteri publico loco affigi; qua de re Cursor Iudici exhibere debet relationem, & haec per notarium referri in Acta, *cap. causam quae, ultim. de Dolo, & Contum. Clem. 1. de Iud. l. 4. §. 6. ff. de in ius vocan. & cap. 2. de Probat.* Notate hic obiter, quod esto reus in iudicio negaverit in ius fuisse vocatum, adserenti tamen nuncio publico, atque iurato se legitime citasse ratione muneris fides adhibebitur, nisi Iudex ex aliis probabilioribus coniecturis, & habito respectu ad qualitatem causae, aut Personarum contrarium arbitretur; Quamobrem, quoties citatus in iudicium comparere neglexerit, nisi iusta se tueatur exceptione contumaciae poenis fit obnoxius *cap. ult. ut lite non contest.*

VIII. Expleta citatione cessat omnium Iudicum, eandem habentium in causa iurisdictionem, concursus, sive quod ordinarius aeque ac delegatus de ipsa causa cognoscere in *solidum* poterat, sive quod de re mixti fori agebatur; & penes illum dumtaxat iudicium erit, qui ceteros praevenit *cap. 19. de for. Com. & l. si quis postea ff. de iudic.* Quinimò si Delegatus in ius vocavit, ipsius iurisdictio hac in parte neque per Delegatarii mortem expirabit *cap. 20. de off. Iudicis deleg.*

IX. Demum ex huiusmodi citatione inducitur revera litis pendentia, & res evadit litigiosa, ita ut alienari nullatenus possit, *Clem. 8. ut lite pendent. & auth. litigiosa res C. de Litigiosis.*

TITVLVS VII.

De Dolo, & Contumacia, ac in possessionem Immissione.

I. EX Tituli inscriptione unusquisque vestrum facile intelliget nos hic non loqui de dolo absolute accepto, ut *l. 1. §. 2. ff.* de dolo pro *omni calliditate*, Videlicet, *fallacia, machinatione ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita contra ius, & bonos mores;* sed tantum quatenus Contumaciae coniungitur; qui enim Iudici in ius vocanti obedire detrectat, nonnisi ex dolo detractare censetur.

II. Haec itaque *Contumacia*, seu inobedientia pluribus committitur modis, quos Glossa in *cap. ex litteris h. t.* his versibus comprehendit:

Non veniens; non restituens; citiusque recedens;
Nil dicens; pignusque tenens; iurareque nolens;
Obscureque loquens, isti sunt iure rebelles.

III. Contumacem itaque recte Paulus *lib. V. sentent.* illum appellat, qui tribus edictis evocatus, vel uno perentorio intra statum tempus nullo legitimo detentus impedimento in iudicium non venit, vel si venerit Iudicis iussui obtemperare recusat, aut sine illius facultate recedit, ne causam dicat *cap. 3. h. t. l. Contumacia ff. de re Iudic. & l. un. ff.* si quis *si quis iusdicenti non obtemperaverit.*

IV. Pluribus tamen poenis Iudicis arbitrio subiiciuntur Contumaces, & I. si post secundam Citationem alterutra pars non comparuerit, comparenti refundere tenetur expensas *cap. Ex litteris 2. & cap. cum dilecti 6. h. t.* quod etiam observandum est, quando calumniosae opponuntur exceptiones, quae contumaciae adsimilantur *cap. finem 5. h. t.* II. puniri possunt Contumaces vel mulctâ ab iudice inflicta, vel interdicto possessorio, immissione scilicet in possessionem *rei servandae causa*, quod ortum ducit ex Praetoris Edicto in *l. 1. & 2. ff. quibus ex causis possessionem*. Ab excommunicatione tamen ferenda abstinere

re se debet Iudex ex *Trid. dispositione sess.* 25. *de reformat. cap.* 3. quoties fieri potest adversus Contumacem realis, aut personalis executio.

V. Quinimo, quia contumacia reddit reum *desertorem*, vel iuxta leges Salicas *tit.* 52. *abiectum*, *ductivum*, verum *eremodicium* inducentem, si de causa sufficienter liqueat, praesertim post litis contestationem potest iudex in ea procedere usque ad sententiam definitivam, & actorem comparentem immittere in veram, realemque possessionem *cap. prout nobis* 4. *h. t. & Novell.* 115. *aliisque relatis sup. text.*

VI. Quoties vero agitur per viam denuntiationis, vel inquisitionis contra reum contumacem semper procedi potest ad sententiam usque definitivam; etiamsi haec depositionis poenam importet *cap. veritatis* 8. *h. t.* In causis vero beneficialibus, vel quibuscumque ecclesiasticis, possunt contumaces audiri etiam post latam sententiam *cap. eum olim* 7. *eod.* Quia ex *Panorm. ib.* sententia, praesertim in causa beneficiali non transit in rem iudicatam respectu Iudicis, qui eam tulit; quod multo magis militare debet, quando lata est contra absentem etsi contumacem.

VII. Haec omnia, quae contra reum contumacem sunt in iure disposita maiorem vim habent contra actorem; qui si post praesentatum libellum ab iudicio per annum contumaciter se absentaverit, erit in arbitrium rei an petere velit absolutionem ab instantia cum expensarum, & damnorum refectione, vel negative litem contestari, onusque probandi in se suscipere, & ad sententiam usque definitivam etiam absente Actore procedere. Quod si lis iam contestata fuerit, poterit Iudex etiam ante anni lapsum sententiam proferre, & Actorem contumacem condemnare in expensas *l. Properandum* §. 2. *de Iudic. & Novell.* 112. *cap.* 5.

VIII. Ex remediis, quibus litigantium contumacia coerceri solet, est, ut diximus, *missio in possessionem rei servandae causa*, quod remedium ex iure Caesareo in ius nostrum descendisse supra notavimus; Verum cum possessionis privatio sit in iure maximi negotii, idcirco leges absque causa cognita eam disponere noluerunt. Quapropter contra contumacem praemittenda omnino est immissio collitigantis in rei controversae possessionem *ex primo Decre-*

cre-

creto custodiae tantum causa; itaut immissus per hanc immissionem nedum verum non adquirat dominium, imo nec stabilem possessionem, sed nudam dumtaxat detentionem; itaut immissionem passus vere dicatur possidere, missus vero nonnisi esse in possessione *l.* 10. *§. Idem Papinianus ff. de acquir. possess.* Parte tamen in sua contumacia insurdescente post anni lapsum potest Iudex *secundum* interponere *Decretum*, quo Missus in possessionem efficitur verus, & incommutabilis possessor, itaut Dominus evadat omnium fructuum rei possessae, & gaudeat omnibus possessoriis commodis, servata solum contumaci super proprietate legitima defensione ex Alex. III. in *cap. constitutis* 1. & ex Greg. IX. in *cap. Si Adversarius* 4. *h. t.*

IX. Praescriptum tamen anni tempus non decurrit contra praesumptum contumacem immissionem passum, si infra annum comparuerit, obtuleritque de stando iudicio cautionem, quamvis haec cautio infra annum oblata ab Iudice recepta haudquaquam fuerit, dummodo per ipsum reum non steterit, quominus reciperetur. Imo si reus, qui passus est immissionem, se ab contumacia purgaverit, non solum restitui debet ad omnia, sed etiam expensarum solutionem evitabit *cap. cum venissent* 3. *h. t.*

X Hoc tamen missionis in possessionem remedium tam ex primo, quam ex secundo Decreto cessat quoties de Dignitate, Personatu, seu quovis alio Ecclesiastico beneficio controvertitur; etiamsi altera pars contumax adferatur incapax, vel neutiquam canonice instituta; eo enim in casu Iudex etiam lite non contestata procedere solum potest in causa, usque ad sententiam quoque definitivam non vero immissionem in possessionem decernere iuxta definitionem Concilii Lugdunensis sub Innoc. IV. de quo in *cap. Eum qui un. h. t. in 6.* Quae tamen constitutio nullo pacto est abrogatoria laudatae supra Alex. III. Decretalis in *cap.* 1. *h. t.* ubi non agitur de causa beneficiali, sed de iure Ecclesiae.

XI. Illud denique notetis velim ad veram possessionem Actoris adquirendam non requiri necessario secundum Iudicis Decretum, nisi quoties agitur actione personali; cum in actione reali sufficiat si integrum labatur annuae contumaciae spatium. Cuius diversitatis ea est evidentissi-

ma

ma ratio, quod in actione reali actor adfirmet rem esse suam, & hoc verum praesumitur propter rei contumaciam; at in actione personali non adlegatur nisi debitum, nec aliquod ius petitur circa rei litigiosae dominium.

TITVLVS VIII.

De exceptionibus, & replicationibus.

I. HActenus ea, quae ad iudiciales probandas actiones ordinantur, tradidimus; nunc de iis, quibus rei se defendunt, agamus oportet; & quia, ut plurimum exceptionibus, quae reorum sunt defensiones, retunduntur actiones, *l. 2. ff. de Except.* itaut eleganter ab Tullio in Topicis *Clypei* appellentur, *telis*, actionibus nempe, *oppositi*; de ipsis exceptionibus praesentem inscripsimus Titulum, ubi tamen nonnisi aliqua, quae pene specialiter in iure nostro militare solent explicabimus; cetera nanque exceptionibus communia ex lib. XLIV. Pandectarum, ex VIII. Codicis, & ex IV. Institutionum Iustinianearum peti facile possunt.

II Exceptio itaque quatenus ad rem nostram facit, aliud profecto non est, nisi *Ius depellendi in Iudicio quod ab Actore petitur*. Cum igitur exceptio sit proprie *actionis exclusio*, sive *emendatio*, & *Rei defensio l. 28. §. Exceptio ff. de Iureiur.* ideo necessario actionem praesupponit; ubi enim nulla est actio, nequit locum habere exceptio; & diversum valde est reum ipso iure liberari, ac liberari exceptionis ope; hinc si reus proponat in iudicio *solutionem*, *novationem*, vel *acceptilationem*, non dicitur propriè exceptionem opponere, cum per eas allegationes repellatur quidem Actor, non excludatur Actio.

III. Omissis variis exceptionum divisionibus, praecipuè Exceptio est vel *dilatoria*, vel *peremtoria*, seu vel *temporaria*, vel *perpetua*. Prima ad certum tempus obstare potest, neque causam, seu actionem perimit propositam, sed tantum eam differt ad tempus. Haec quidem vel respicit Personam *Iudicis*, ut exceptio fori declinatoria,

ria, incompetentiae iurisdictionis, vel recusationis *l. apertissimi C. de Iudic.* vel ipsas *litigantium* Personas, quae videlicet illegitimae sint, ut in iudicio agant, quemadmodum Pupillus sine Tutore, Minor sine Curatore, Filius, vel uxor sine Patris, vel mariti consensu, Procurator sine mandato ec. Vel tandem *Causam* principalem, ut exceptio libelli inepti, obscuri, rescripti subreptionis, aut obreptionis vitio laborantis, litis pendentiae, & similes.

Exceptio vero Peremtoria, & perpetua est, quae Actoribus semper obstat, itaut per eam veluti perimatur actio; ut exceptio rei iudicatae, iuramenti, doli mali, pacti de non petendo, solutionis, transactionis, praesumtionis, contractus invalidi, & similes, quae quia opponuntur ad tollendam omnem causae cognitionem bene dicuntur peremtoriae, quasi quod totum negotium absolvant, & vim definitivae sententiae habeant *l. 37. C. Theod. de Appell.*

IV. Exceptiones dilatoriae, ut opportune opponantur, ante litis contestationem opponi debent; imo si respiciunt Personam Iudicis, ut sunt Fori declinatoriae, praecedant omnem actum necesse est; nam secus reus in Iudicem suspectum, vel incompetentem consensisse videtur. Nonnumquam tamen opponi quoque possunt nedum post litis contestationem, verum etiam post sententiam, puta, si post litis contestationem ea exceptio primo militare coeperit *cap. innotuit de Officio Deleg. l. 2. C. de Consort. lit.* vel saltem nonnisi post litem contestatam ad notitiam pervenerit *cap. praesentium de Testib. cap. Pastoralis h. t.* vel etiam, si exceptio, quamvis dilatoria, principalia tamen causae merita respiciat ex Vulteio in *l. Exceptionem C. hoc tit.* aut notabile gravamen contineat; veluti loci suspecti, non tuti &c. *cap. ex parte de appellat.*

Ne tamen litigantibus detur occasio iudicia frustrandi, ex Innocentio III. in *cap. 4. h. t.* Iudex Ecclesiasticus debet tempus praefigere, intra quod teneantur partes dilatorias, si quas habent, exceptiones opponere. Verum excommunicationis maioris exceptio etiam in litis exordio scienter omissa potest nihilominus in quavis Iudicii parte habere locum; imo eam reo non opponente, potest ex proprio officio opponere Iudex, ne periculum animae incur-

ra-

ratur communicandi cum excommunicato *cap. exceptionem 12. h. t. & cap. pia consideratione eod. in 6.* Idem sentiendum quoque de iis omnibus exceptionibus, quae iudicium, & acta irritant.

V. Exceptiones vero Peremtoriae ad sententiam usque opponere cuique fas est, non tamen post; tunc enim vel ad appellationis beneficium, vel si damnatus minorennis fuerit ad restitutionem in integrum est recurrendum, *l. 4. & 8. C. h. t. l. 2. C. Sententiam rescindi non posse*; quibus ius nostrum etiam consonat in *cap. Cum Venerabilis h. t. cap. 9. de Probat. & 4. de Procurat.* nisi tamen de iis peremtoriis exceptionibus agatur, quae sententiae executionem potius respiciunt, ut exceptio inopiae, quae donatori, aliisque datur contra Donatarium ex Senatusconf. Macedon. & Velleian. ne executio in plus fiat, quam servata congrua substentatione fieri potest.

VI. Effectus oppositae exceptionis peti possunt ex iure Caesareo, quo liquet praesertim non alia ratione exceptiones esse institutas, nisi in gratiam defendendi reum. Quapropter quoties fuerint legitime oppositae eas admittere tenetur Iudex *cap. 13. de off. Iud. Deleg.* Cum id ad naturalem pertineat aequitatem; alioquin tanquam a gravamine sibi illato quiverit appellare reus.

VII. Vt ergo ipsas recto ordine cognoscat Iudex, distinguat oportet, an dilatoriae fuerint, an peremtoriae; Si primi generis, eas discutiat, & per Sententiam interlocutoriam de illis pronuntiet necesse est, antequam ad totius causae iudicium descendat. Si vero peremtoriae, diversimode se gerere tenetur in possessorio, ac in petitorio iudicio. In illo quidem, prius de possessione, postea de exceptione cognoscere debet *cap. 10. de restitut. spoliat.* In altero tamen e contra prius de exceptione, deinde vero de principali actione *cap. 1. de ordin. cognit.* Ratio vero diversitatis est, nam qui possessorio agit iudicio, possessionem rei, quam habet, habuit, vel debuit habere exposcens, aliud non petit, nisi conservationem iuris, a quo deiiciendus non est, nisi causâ cognitâ, adeoque ante omnes actus debet in possessionem immitti, conservari, vel restitui. At in petitorio, quia si exceptio subsistit, tota corruit causa principalis Iudex rescindere sententiam co-

ge-

geretur, si quam ante exceptionis cognitionem protulisset; Ideo debet Actor suam prius probare intentionem, qua probata, ubi reus exceptiones habuerit, proferre tenetur, ut sic istis examinatis per unicam Sententiam toti negotio finis imponatur, *l. Siquidem C. h. t.*

VIII. Sicuti adversus Actorem reo datur exceptio, ita actori pro sui iuris tuitione conceditur *Replicatio*, quae est veluti exceptionis exceptio *l. 2. §. Exceptiones ff. h. t.* Huic si aliud opponat reus, huiusmodi oppositio dicitur *duplicatio*, contra quam licet Actori per *triplicationem* respondere, & sic deinceps, si id permiserit aequitas, & loci consuetudo tulerit *l. ead. §. Illud, & cap. 15. de For. Comp.* De istiusmodi replicationibus ea habetur iuris dispositio, quae de exceptionibus.

TITVLVS IX.

De Mutuis Petitionibus.

I. MVtuae petitiones hic non sumuntur pro reciprocis actionibus, quas mixtas, seu duplices I. C. appellant, & in quibus omnes collitigantes sunt Actores, omnes sunt rei; ut accidit in actionibus finium regundorum, Familiae ercifcundae, vel Communi dividundo, quae simul eodem tempore & nascuntur, & pereunt *l. actionis ff. de act. & obligat.* sed proprie de iis sermo est, quae reconventiones vulgo appellantur, seu contrariae actiones, quas reus compensationis vice adversum Actorem intendit; sicuti enim per recautionem, repignorationem, vel restipulationem prioris cautionis, pignorationis, vel stipulationis evenit dissolutio; ita a pari per reconventionem a reo contra actorem retortam rescinditur actoris actio, & debitum veluti compensatur.

II. Reconventionis itaque eiusmodi nomine aliud non venit nisi: *rei conventi adversus actorem durante conventionis iudicio instituta vicissim sub eodem Iudice actio.* Ita Gloss. & Panorm. in *cap. 1. h. t.* Et revera eo in casu neutri permittitur reconventionis causa ad aliud Tribunal re-

recurrere *l. si idem* §. *Quod si ff. de Iurisd. & cap. 2. h. t.* Cuius dispositionis ea est potissima ratio, quae legitur tum in *l. cum Papinianus C. de sentent.*, tum *III. q. 8. can. I.* quia scilicet cuius in agendo quis observat arbitrium, eum habere contra se Iudicem in eodem negotio dedignari non debet. Quare Iudex qui alioquin Actori incompetens erat, in reconventionis causa competens evadit, sive ordinarius ille fuerit, sive delegatus *cap. 1. cit.*, & *cap. prudentiam de officio deleg.* Ex eo praesertim quod utriusque Iurisdictio prorogatur, seu extenditur ad causam reconventionis.

III. Verumenimvero dantur nonnullae in iure causae quae ita proprium iudicem exigunt, ut neque per reconventionem agi queant penes incompetentem, cuius generis sunt Causae iurispatronatus, *cap. quando de Iudic. Decimarum, cap. 1. & 2. de decim. Matrimonii cap. 1. de Consang.* & aliae de sua natura spirituales. Reconventioni quoque locus non est coram Iudice arbitro, & adpellationis, quia ipsi cognoscere nequeunt, nisi ea, de quibus fuit vel compromissum vel adpellatum *cap. Apostolaris de off. Iud. Deleg.* Quinimo nec reconveniri actor potest coram Iudice delegato, qui ex Principis motu proprio est datus, quia cum ipsum non elegerint litigantes corruit ratio in laudatis supra textibus adducta.

IV. Ceterum reconventio in causis omnibus iure non exceptis admitti debet, & institui eodem prorsus modo, ac fuerat instituta conventio, cum actor, & reus iudicari nequaquam debeant per imparia, *l. licet C. de fructib. & litium expens.* nec debeat actori prodesse, quod reo non prodest, *l. non debet ff. de reg. Iur.* Quod si actor actionem summarie intentaverit, & reconventionis causa processum requirat plenarium, utraque suspendetur, ut volunt aliqui; vel causa conventionis ad se trahet causam reconventionis, itaut idem omnino servetur ordo, & quod cedit in favorem unius, alteri etiam faveat, ut expresse declaravit Coelestinus III. in *cap. Prudentiam 2. h. t.* Quare si actor rescriptum impetravit cum clausula *appellatione amota*, neutri appellare licuerit; vel si actor super libello reconventionis reo respondere noluerit, neque reus in causa conventionis actori respondere teneatur.

V. Ces-

V. Cessat nihilominus quibusdam in causis huiusmodi reconventionis beneficium, ut in causis executivis, in quarum celeri expeditione procedi debet, posthabita etiam reconventione, si haec eas quomodocunque redardet, ut si agatur de Deposito *cap. fin. de Depos.* & *l. penult. C. Depositi* vel de Instrumento; ac debito liquido, cum absque actoris iniuria propter reconventionem non retardaretur causae liquidae decisio; in causa pariter spolii, ob spoliati privilegium non admittitur reconventio *cap. super spoliationis de Ordin. Cognit.* quemadmodum denique nec in causa criminali criminaliter mota, nam ex Vlpiano in *l. is qui reus ff. de publ. Iud.* constitutionibus observatur, ut non relatione criminis, sed innocentiâ reus purgetur; dummodo tamen rei crimen ab crimine actoris non dependeat, ut ibidem notat Bartolus, veluti si de adulterio accusatus actorem de lenocinio in eodem Adulterio praestito reaccuset *l. 2. §. Exstraneus ff. ad l. Iuliam de Adult.*

VI. Sicuti vero neo coram omnibus Iudicibus, nec in omnibus causis locum habet reconventio, ita quoque nec omnibus ab iure datur reconveniendi facultas, ut sunt Excommunicati, qui licet defendere seipsos possint opponendo exceptiones, haudquamquam tamen offendere queunt reconveniendo actorem, ut existimant passim Canonistae in *cap. 1. de rescript.*

TITVLVS X.

De Restitutione Spoliatorum.

I. NOnnulla in huius libri *Tit. VII.* indicavimus quae ad interdicta possessoria generatim pertinent; nunc omissis ceteris Interdictorum speciebus, de quibus in Pandectis, & Codice Iustiniani, institutam sequentes iuris nostri rationem de eo praesertim agendum adsumimus, quod interdictum *Vnde vi* in iure Caesareo nominatur, & competit ei, qui per vim, vel alio modo fuit possessione spoliatus, venitque propterea in nostris Decretalibus sub eodem

dem hoc titulo *de Restitutione Spoliatorum*, quae tamen inscriptio omnem comprehendit spoliationem, sive simplici vi factam, sive vi armata, sive in rebus immobilibus, pro quibus recuperandis competit interdictum *unde vi*, sive in mobilibus, pro quibus militat Interdictum *Quorum Bonorum*.

II. Adeo favorabilis in utroque iure est causa spoliati, ut si in iudicio ipse agat, nullo pacto sit reus audiendus, nisi prius spoliatus in pristinum restituatur *cap. licet* 1. *h. t.* etiamsi velit incontinenti ius probare proprietatis, vel etiamsi velit in eodem iudicio crimen spoliato obiicere, *cap. item* 6. *h. t. & can. Nullus, ac seqq. II. q.* 2. Neque satis est integra restitutio, sed integerrima fieri debet, unà scilicet cum fructibus perceptis, quos spoliatus percipere potuisset, & refectione damni per spoliationem illati *cap. gravis* 11. *h. t.* nisi inopia, & impotentia restituendi spoliantem excuset *l. inanis ff. de dolo, & cap. olim* 16. *h. t.* Quinimo interdictum huiusmodi nedum iis competit, qui a vera possessione deiecti fuerunt, sed etiam qui libere, ac tute ob alterius vim fructus de rebus propriis percipere nequeunt, *cap. Pisis h. t.*

III. Verumenimvero iuris istiusmodi remedium spoliatis competens licet amplissimum sit, nihilotamenminus ubi clare, evidenterque constiterit, quod spoliatus iniuste possidebat, cessare debet omnino *cap.* 1. *§. Ad hoc h. t. in* 6. Quemadmodum etiam, quia ex *cap. Olim* 17. *h. t.* idem restitutionis remedium locum non habet, nisi cum de vera, & reali possessione spoliatio contingit, ideo si ipsa de re contingat, quam spoliatus sub conditione, nondum purificata, detinebat, cessant iuris dispositiones in favorem spoliatorum *cap. olim* 12. *eod.*

IV. Insuper quia restitutio ex causa spolii fieri debet absque animae discrimine, idcirco in causa matrimoniali, si mulier absque iudicio Ecclesiae a viro discesserit, & contra eumdem restitutionem petentem opponat consanguinitatis impedimentum, habeatque paratas probationes, restituenda omnino est viro quoad rem domesticam, licet non quoad thorum; si tamen probationes promptae non fuerint, restitutio plena prorsus erit facienda, nisi magna obstiterit viri saevitia *cap. litteras* 13. *h. t. &*

L *cap.*

cap. Ex transmissa 8. *eod.* Ex paritate rationis idem viceversa militat in favorem mulieris, dummodo constet realem inter coniuges adfuisse possessionem, quae satis probatur per traductionem mulieris in viri domum *cap. ex conquestione* 10. *h. t. & Cap. ex parte* 14. *eod.*

Interdictum hoc *unde vi* iuxta utriusque iuris dispositiones militat potissimum quidem contra spoliantem *l.* 1. *ait Praetor ff. de vi, & vi armata*, consequenter vero militat quoque adversus eum, qui spoliationem per suos factam adprobavit, & ratam habuit, ac effectus est secutus *arg. text. in cap. cum ad sedem* 15. *h. t.* Militat insuper contra Iudicem, qui absque citatione, & causae cognitione aliquem spoliavit *cap. conquerente* 7. *eod.* & etiam contra tertium possessorem, qui rem ex spoliatione sibi quaesitam scienter retinet ex definitione Lat. IV. in *cap. saepe* 18. *h. t.* Nam quamvis hoc interdictum sit personale, ut apparet ex Praetoris verbis: *Vnde vi tu illum deiecisti &c.* attamen, ut animadvertit Concilium, tertius Possessor spoliatoris vitio succedere videtur, & ad animae periculum idem est iniuste detinere, ac alienum invadere. Non habet tamen locum adversus dominum, cuius servus absque mandato Adversarium spoliavit *l.* 1. §. *Quia ff. unde vi, & vi arm.* Neque contra haeredes spoliantis, nisi ad id, quod eis obvenit ex violentia, vel dolo defuncti *l.* 1. *C. Vnde vi.*

Haec autem quae huc usque diximus militant quoque in causis beneficialibus, in quibus, nisi prius restituatur spoliatus in suum beneficium, nullo pacto audiendus est spolians etiamsi opponat vel invaliditatem institutionis, vel ipsius beneficii resignationem post spoliationem factam, cum haec voluntaria non sit censenda *cap. ex litteris* 5. *h. t. & cap. Sollicite* 2. *eod.* contra vero si clare constiterit resignationem evenisse ante spoliationem *cap. eod. & cap. accepta* 3. *h. t.*

TI-

TITVLVS XI.

De Litis Contestatione.

I. OBlato libello sequitur iudicialis controversiae initium, quod I. C. non immerito *litis contestationem* adpellarunt, sic dictam secundum Festum. Nam olim tum lis exordiri dicebatur, cum litigaturi eos, qui tunc aderant Testes advocabant de iis, quae proponere, & quibus respondere oportebat; neque sane dissimili ratione eandem *contestationis* vocem usurpatam reperimus in Capitularibus Caroli M. *cap.* 144. Et apud Gregorium Papam *lib. V. ep.* 30. libelli, in quibus alicuius fama proscinditur *Contestationes* appellantur, quasi fidem facientes, vel contestantes illius infamiam.

II. Quare etsi varie interpretes litis contestationem descripserint, possumus tamen cum Cuiacio ad hanc Rubricam adferere litis contestationem esse illius rei, de qua est controversia in foro, vel testibus praesentibus factam narrationem, vel clarius secundum Ostiensem *esse fundamentum Iudicis per petitionem in iure propositam, & congruam responsionem secutam animo litigandi.* Ex quo fit, quod nec sola Actoris petitio sine congrua rei responsione; neque haec sine animo litigandi inducit litis contestationem, ut luculenter colligitur ex definitione Greg. IX. in *cap. un. h. t.* ubi legimus non fieri litis contestationem per *Positiones, & responsiones, sed per petitionem in iure propositam cum responsione adversae partis.*

III. Quia vero in laud. *cap.* additur, quod, si huiusmodi omissa litis contestatione, in Iudicii Ordinarii forma procedatur, irritus sit processus, ideo ab eadem exordiantur nunc actus iudiciales necesse omnino est, nisi grave aliquid praescriptum ab iure Ordinem perverti cogat, ut supra notavimus in casu contumaciae; praesertim si agatur de valore Electionis, Provisionis, & Matrimonii, ex *cap. Quoniam* 5. *ut lite non contest.* aut etiam si testium obitus timeatur, vel diuturna absentia, itaut periculum sit in mora; tunc sane lite quoque non contestata examinari possunt

sunt testes citato adversario ad videnda eorum iuramenta. Attamen si reus non sit contumax, & sine dolo absfuerit, tunc satis erit si intra annum conveniatur, vel factum iam testium examen intra annum ipsi denuntietur, ut notat Abbas, & alii in idem Caput.

IV. Animadvertendum hic tamen, hanc iuris dispositionem locum haud habere in criminalibus causis, in quibus, cum de negotio gravissimo agatur, & consultius sit nocentem dimittere, quam condemnare innocentem *l. 5. ff. de Poenis*, probationes liquidae omnino requiruntur, praesentes, & strictae *l. fin. C. de Probat.* Alteri propterea, nisi ipsi reo non permittitur ante litem contestatam adhibere testes ad suam probandam innocentiam, quoties revera timeat aliquando posse pro delicto accusari; quod si contingat, Testium depositiones ubi receptae fuerint in publicam Instrumenti formam redigi debent *cap. 41. de Test.*

V. Lite demum contestata censetur obligatio inter litigantes inducta de *Iudicio Sisti*, & *iudicatum solvi*. Actiones temporariae redduntur perpetuae, hoc est durantes ad annos usque quadraginta *l. fin. C. de praescript. trigint. ann.* Cessant exceptiones fori declinatoriae, interrumpitur quaevis praescriptio, nequit libellus mutari, neque Procurator absque causa amoveri, quia factus iam est dominus litis, & quam plurima alia, de quibus iuris utriusque DD.

TITVLVS XII.

De Iuramento Calumniae.

I. QVamvis *Calumniae* nomen apud posteriores auctores usurpetur saepissime pro *actione in iure* qua quis rem quampiam per solemnes iuris formulas sibi deberi adserit, aut pro qua litem intentat, ut *lib. II. leg. Langob. t. 27. lib. VI. capitular. cap. 189. & tit. 89. leg. Burgundor.* nec non etiam aliquando pro poena pecuniaria, ut in *Conc. Legion. an. 1012. cap. 9. & in chartis* praesertim *Fey-*

Ferdinandi Hispan. Regis. Nihilominus impresentiarum *Calumniae* vox haud recedit a prima puriori latina significatione, & idem sonat quod apud Graecos διαβολή, malitiosam scilicet alicuius rei interpretationem, vel ut placet Nonio, & magis apposite ad rem nostram: *Calumnia est malitiosa, & mendax infamatio, vel vexatio in litibus per fraudem, & frustationem;* cui consentit Tullius *offic. lib.* 1.

II. Ad compescendas utique huiusmodi litigantium calumnias varia in Iure fuerunt instituta remedia, ut poena solvendi decimam litis partem in causis civilibus *l.* 1. *ff. de poen. temere litig.* in criminalibus vero poena talionis; attamen in utroque foro, ut ab pravo hoc more litigantes religionis metu saltem se abstineant, iurare etiam coguntur se lites non calumniandi animo intentare. Cuius remedii inventum licet Iustiniano acceptum referat Cuiacius ex *l.* 2. *C. de Iuram. propt. Calumn. Novell.* 50. & 112. Illud nihilominus non fuisse antiquis I. C. prorsus incognitum patet ex *l. inter §. Qui familiae ff. famil. ercifcund.* Quapropter rectius Gothofredus in *l. Iusiurandum ff. rer. amot.* existimat huiusmodi calumniae iuramentum in Pandectis nullis solemnitatibus dispositum, fuisse ab Iustiniano in meliorem iuris formam redactum.

III. Hoc itaque iuramentum tres praesertim Articulos complectatur oportet I. quod litigantes iustam putent suam litigandi causam. II. Quod nullam petant calumniosam dilationem, aut probationem superfluam litis protrahendae causa. III. Quod nihil promiserint, dederint, daturive sint vel per se, vel per alios Iudicibus patrocinii gratia, vel aliis personis, nisi quibus iura permittunt, *Auth. Principales C. de Iureiur. propter Calumniam.*

IV. Esto autem Calumniae iuramentum alterutra parte exposcente remitti neutiquam possit in quolibet iudicio & qualibet iudicii parte, imo etiam attendi omnino debeat, quia si actor delatum iuramentum recusaverit ab instituta cadet actione, reus vero propter eandem recusationem pro confesso erit habendus *cap.* 1. *h. t. in* 6. & *cap. cum in causa §. Poena* 7. *h. t.* attamen quoties nullo petente illud omittatur, non propterea causae processus evadit irritus *cap. fin. de Electiion. cap.* 1. *cit. §. Propter h. t. in* 6.

 V. Ad

V. Ad praestandum idem iuramentum, exceptis Principibus, & quotquot in aliqua excellenti dignitate sunt constituti *cap. 3. h. t.*, tenentur omnes. Verum ad rem non refert an per se illud subeant, an per suum Procuratorem mandato instructum; imo Clerici sine sui Praelati speciali facultate per se praestare nequeunt *cap. 3. h. t. & l. cum Clerici C. de Episc. & Cler.*

VI. Hoc denique iuramentum *Calumniae* confundi non debet cum altero quod *Malitiae* dicitur, & peti potest super singulis causae articulis, si iudici expedire videbitur *cap. 2. h. t. in 6.*

TITVLVS XIII.

Vt lite pendente nihil innovetur.

I. HEc ipsa tituli inscriptio firmat regulam utrique iuri probatam, ut nempe omnia in eo perseverare debeant statu, in quo, cum lis mota fuit, reperiebantur *can. ult. 11. q. 1. cap. cum teneamus, cap. cum significante de appellat. l. divus ff. de Pet. Haered. l. 1. C. de lite pendent.* Quamobrem privari non potest possessor, durante lite, suae possessionis commodo, iuribus, aut fructibus *cap. 1. h. t.* nisi tamen possessae rei praeiudicium inferat, aut de fuga sit suspectus, aut alia iusta ratio, & aequitas non postulaverit fieri litigiosae rei per mandatum Iudicis sequestrationem *cap. ult. de sequest. Possess.*

II. Possessori ergo litigiosam rem alienare nullatenus licet, & ubi id tentaverit; Emptor, satis de lite conscius, nedum eâ expoliatur, sed pretium & amittit, quod Fisco adquiritur; si vero ignarus, actionem obtinet adversus alienantem pro soluta paecunia, & aliâ tertia parte accipiendâ in poenam illius doli, & sui deceptionis *cap. 3. & 4. h. t.* nisi alienatio fiat ex causa transactionis, familiae ercifcundae, dotis, donationis propter nuptias, impensarum funerum, & aliis a Praetore in Edicto concessis ex *Vlp. in l. Divus ff. de pet. haered. l. ult. C. de litig.* Imo potest etiam res litigiosa testamento relinqui *l. 3. C. eod.*

III. Si

III. Siquae etiam lite pendente impetrentur privilegia in alterius partis praeiudicium absque expressa litis mentione concepta, subreptitia censeri debere monet *Panorm. in cap.* 1. *& fin. h. t.* Et omnia denique attentata, vel innovata hoc interim statim revocari debent in pristinum; & antequam revocentur, opponente parte, impeditur processus ad ulteriora *cap. si lis*, *& Cl.* 2. *h. t.*

TITVLVS XIV.

De Probationibus.

I. PRobationis nomine ex Brissonio, & *Glos. ad Rub. C. h. t.* hic venit *rei dubiae per argumenta coram legitimo Iudice facta ostensio*. Cum dicitur *rei dubiae* id capiamus oportet sive res de se dubia sit, sive ex adversarii negatione; nam notorium quoque cum negatur evadit dubium, & probatione indiget *cap. fin. h. t. Argumentorum* vero vocabulo intelligitur quidquid tale est, ut inde res an vera sit, aut falsa argui, & demonstrari possit. Additur coram legitimo iudice, nam nisi coram ipso probationes fiant, nullius ferme ponderis in causis erunt.

II. Probationis onus ut plurimum incumbit actori, qui adfirmat, non reo qui negat, cum adfirmantis sit probare *l.* 2. *ff. h. t. & VI. q.* 5. *can. ult.* Verum si reus excipiendo aliquid ponat, & adfirmet ipse quoque ostendere debet quod adserit, & vice actioris fungetur, *l.* 19. *h. t.*

III. Huiusmodi probationis octo passim adsignantur genera. I. Collitigantis Confessio. II. Idonei testes. III. Probatae Scripturae. IV. Iurisiurandi religio. V. Inspectio Iudicis. VI. Notorium. VII. Suspicio vehemens. VIII. Denique fama, aliaeque praesumptiones, & adminicula.

IV. Omnis autem probatio dividitur in plenam, & semiplenam. Plena dicitur, quae adeo evincit intentionem illius, qui ipsam adduxit, ut eâ attentâ, ex nullo alio requisito Iudex possit causam definire *cap.* 2. *h. t.* semiplena vero est illa, quae persuadet quidem sed non invincibiliter, & qua sola attenta Iudex nequit proferre sententiam,

cum semiplena probatio opinionem pariat, non plenam faciat veritatis fidem. Recensita ergo probationum genera si requisitas habeant in iure conditiones, de quibus infra, plenam constituent probationem; sin minus vero, semiplenam dumtaxat. Notandum tamen, duas semiplenas probationes ad finem eundem tendentes, puta unum testem, & famam; confessionem extraiudicialem, & unum testem plenam facere probationem in iudiciis civilibus, non tamen in criminalibus, ut sentiunt DD. His igitur notatis de probationibus in genere, earum vim singillatim inspicere debemus.

§. I.

V. *De Probatione per confessionem.*

Cum nulla maior sit probatio, quam proprii oris confessio *cap. 1. h. t.* Collitigatoris confessio ita efficax est, ut confessus pro iudicato habeatur *L. un. C. de confess.* Haec propterea locum habet tam in civilibus, quam in criminalibus causis, licet diverso modo.

In civilibus quidem ita accidit: Actor sane positiones quasdam concinnat, in quibus brevis quaedam facti narratio fit, hisque exhibitis Iudex adversario praecipit, ut dicat, an hae positiones sint verae potius, quam falsae. Itaque si Adversarius instante Iudice respondeat eas esse veras, iam qui posuit ab onere probandi per alia argumenta relevatur: Sed si respondere recusat pro confesso habetur; ita tamen, ut requiratur etiam citatio ad dicendam causam, quare pro confesso haberi non debet; nisi prius ipsi comminatum esset, quod haberetur pro confesso quoties non responderit. Verumtamen existimant iurisperiti posse moram purgari, maxime si adhuc res integra fuerit. Imo si confessio per errorem, iracundiam, aut nimiam festinationem facta sit, potest etiam, dummodo incontinenti fiat, revocari *cap. fin. de confessis*, uti Abbas *ib.* & in *caput Cum venerabilis de except.*

De quo hac in re non aeque convenit inter DD. est an reus cogi possit edere scripturas, quas apud se habet, quibus Actor adversus ipsum utatur, quemadmodum factis positionibus potest Iudex ab reo etiam invito extorquere con-

confessionem, attamen probabilius sentire mihi videntur adferentes quod cogi revera non possit ex *L. 1. C. de edendo. L. Nimis C. de Testib. & cap. 1. eod.* Nam desumenda non sunt arma de domo rei; nisi scripturae eiusmodi utrique fuerint litigatori communes, ut docent passim I. C. in *d. L. & Cap.*

In Criminalibus vero confessio exigitur etiam per tormenta, & quaestiones, modo post tormenta ratificetur, non quidem statim, sed post aliquod temporis intervallum, ne tormentorum vi extorta videatur; ita DD. communite; in *cap. 1. de confessis in 6. & in L. 1. ac 7. ff. de Quaest.*

§. II.

VI. *De Probatione per Testes.*

Quae a Testibus petitur probatio ceteris praestantior est *cap. 10. de fid. instrum. & Novell. 76. Iustin.* Verum ut testium depositio valida, & firma sit, oportet, quod sponte sua neutiquam veniant, nam pro suspectis haberentur, sed rogati accedant, vel etiam citati, cum testes ad testificandum teneantur, ac propterea cogi possunt ut partes sua iura probare queant. Opus est etiam, ut ipsi super omnibus, & singulis iurent se veritatem dicturos, nam testi non iurato haud creditur, cum in alterius praeiudicium deponat, nisi forte ab adversa parte iusiurandum remittatur *cap. tuis de Testib.* vel nisi veritas a testibus elicienda ab omni alieno damno sit remota *can. parvulis, & can. cum itaque dist. 4. de cons.* vel nisi quis tanquam peritus in arte deponat *cap. proposuisti eod.* Opus est tandem, ut pars adversa moneatur, citeturque ad videnda testium iuramenta *cap. quoniam frequenter Vt lite non contestata.*

Testes, ut plene probent duo saltem sint oportet omnino, iique contestes, cum unus etiamsi omni exceptione maior, non admittatur *L. Iurisdictione C. de Testib.* nec aliam nisi semiplenam probationem pro civilibus causis inducat, & pro criminalibus indicium dumtaxat ad torturam ex Glofs. & DD. in *L. 3. C. ad Legem Iuliam Maiestatis.* Notat vero Abbas in *cap. Super eodem de Testibus* satis esse dictum unius quibusdam in casibus, ut v. g. si de impediendo pec-

ca-

cato agatur, vel de negotio parvi momenti, aut ab alterius praeiudicio alieno.

Huiusmodi vero testium depositiones clam, & seorsum ab aliis faciendas tum super articulis a producente propositis, tum super interrogatoriis ab Adversario oblatis Iudex per se recipiat, ut advertat quo vultu, qua constantia, quave animi trepidatione testes loquantur, cum saepe ex huiusmodi indiciis rerum veritas elucescat *cap. causam de Testib. & L. Testes ff. eodem*. Nec praetermittat eos diligenter examinare an de visu, & scientia, an de auditu tantum & fama deponant, quo in casu praesertim ubi de criminali iudicio agitur, non plene probarent, ut docent Canonistae in *cap. per tuas de Test.* Quoties tamen quis testium sit valetudinarius, septuagenario maior, nobilis paupertate depressus, mulier honesta, vel eiusmodi, quae ad Iudicem venire non possit, tunc Iudex per idoneum aliquem electum Scribam eorum attestationes exquirat, ita DD. in *cap. Si quis de Test. & cap. quoniam frequenter ut lite non contest.*

Ad testimonium ferendum admittuntur omnes, qui non sint speciatim ab iure prohibiti *L. 1. ff. de Testib.* Prohibentur vero alii conditione status, ut servi *can. Si testes IV. q. 3. Auth. Si dicatur C. de Test.* Alii propter infamiam personae, & vitae pravitatem *L. 3. ff. eod. & cap. testimonium 58. eod.* Alii propter defectum aetatis, & cognitionis *L. 3. cit. §. Ideoque* Alii propter suae professionis decentiam quibusdam tantum in causis, ut religiosi in criminalibus. Alii propter suspicionem aut affectionis, aut odii pro certis tantum personis, vel contra certas personas, *L. Parentes C. de Test. L. 5. ff. eod. cum L. fin. ib. L. quoniam C. de Haereticis, cap. Iudaei 21. de Test. & Clem. cum Iudaei eod. can. Consanguinei III. q. 3. & L. 3. de Test. cap. 5. & 28. eod.*

Illud hic notate de testibus iure prohibitis, quod inopia probationum potest huiusmodi hominum genus, exceptis tamen inimicis, aliquando admittere saltem ad semiplene probandum, vel si agatur de causa gravissima, ut de haeresi, *cap. ii fidei de Haeret. in 6. L. Gentium C. eod.* vel de Simonia *cap. 3. de Sim.* vel de crimine lesae Maiestatis *can. fin. XV. q. 6. cap. final. de Testib. cogendis.*

Ad

Ad feminas vero quod attinet, quae a testimonio ferendo in caussis testamentorum arcentur, & ab omnibus aliis arcebantur olim *L. qui Testamento §. Mulier de Testam. & can. Mulierum XXXIII. q. 5. & cap. forus de verb. signif.* hodie admittendas esse censent DD. tam in civilibus, quam criminalibus caussis, quoties aliunde veritas haberi nequeat.

Adnotate etiam exceptionem de partium studio haud locum habere adversus testimonium Monachi, vel Canonici in favorem Monasterii, vel Capituli prolatum *cap. 6. & 12. de Testib.* imo nec adversus illud civium in favorem suae Communitatis, quoties res, de qua agitur ad singulos non pertineat, ut notat Panormit. in *cap. Insuper 6. eod.* Sed tantum si de ipsa singuli participant, ut de communibus pascuis &c.

Testes productos, & admissos Iudex vel examinator interroget super proposita a parte capita, quae si neglexerit pars proponere, ipse quaedam magis necessaria, praesertim generalia, & caussam concernentia faciet interrogatoria, de quibus *cap. 37. de Testib.* & ad illa tantum respondere tenentur Testes; aliàs essent ultronei, & suspectae fidei. Debent tamen congruam dictorum suorum afferre rationem, quam si interrogati non reddiderint, eorum attestationem nullius esse momenti docemur ex *L. solam C. de Testib. & Can. Si testes §. Sola IV. q. 3.* Finito examine possunt testes ab Notario exquirere, ut sua dicta perlegantur *cap. 7. de Testib. cogendis aut non.*

Post testium examen Iudex exposcat a partibus utrum alios ulterius testes producere velint, vel depositionum promulgationem; quod si primum, concedere eis debet secundam, & tertiam quoque testium productionem, non vero quartam, nisi praestito vitandae *malitiae* iuramento, nec didicerint priorum testium depositiones *cap. 55. de Testib.* Tandem attestationes sunt promulgandae in scriptis. Cuius promulgationis praecipuus effectus est quod non liceat amplius novos testes proferre *cap. 17. eod.* Imo quamvis iure civili, ut quidam putant, in caussa appellationis admittantur novi Testes *L. 6. C. de appellat.* De iure tamen Canonico admittendi non sunt *Clem. 2. de Testib.* Ab hac autem regula excipiatur, quoties agitur de caussis Matri-

trimonialibus, Beneficialibus, & Capitalibus; vel quoties prima vice non fuerint plene examinati Testes, aut fuerint de periurio convicti *cap. 9. & 48. eod. & Clem. 2. cit.*

Alter promulgationis eiusmodi effectus est, quod amplius non liceat contra Personas Testium excipere; nisi aliqua exceptio primum post publicationem innotescat; vel excipiens praemisso iuramento *malitiae* aliquam possit afferre probabilem causam cur prius non exceperit; vel denique nisi sibi exceptionem contra personas testium statim ab initio per protestationem usque post publicationem reservasset *cap. 30. de Testib.*

Potest tamen optime excipi contra Testium dicta, quod nimirum absque ratione scientiae deposuerint, vel extra articulum propositum, quod obscurè & confusè sint locuti, quod sibi contrarientur, quod non sint Contestes, quod falsum deposuerint & similia &c.

§. III.

VII. *De Probatione per instrumenta, seu Scripturas.*

Instrumentorum nomine hic veniunt scripturae ad rei alicuius probationem in futurum faciendam confectae. Et duplicis sunt generis aliae publicae, privatae aliae: de utrisque agitur in iure nostro sub *Tit. de fide Instrum. cap. 2. 13. 14.* Publicae sunt quae fiunt a publica persona servatis omnibus ab iure requisitis solemnitatibus, ut in *cap. 2. cit.* & probandi vim obtinent ex auctoritate Tabellionis, ac testium subscriptione; unde eodem modo probat Instrumentum huiusmodi, quo duo testes *l. in exercendis C. de fide Instrum. & laud. Capp. Decret.* dummodo tamen in nulla sui parte fuerit vitiatum, abrasum &c. aut alio modo de substantiali immutatione, vel depravatione suspectum.

Publicis instrumentis hac in re aequiparantur primo Acta iudicialia, seu, ut vocant, Protocolla, & scripturae inde erutae *l. fin C. de re iudic.* II. Scripturae authentico Sigillo Personae alicuius in dignitate constitutae, & Magistratum habentis munitae, ac subscriptione firmatae *cap.*

2. *de*

a. de fid. Instrum. III. scripturae ex publico Archivio desumptae *Authent. ad haec C. de fid. Instrum.* IV. demum scripturae etiam inter privatos exaratae, quibus praeter contrahentes tres quoque integrae opinionis testes subscribant.

Privata instrumenta sunt scripturae, quae a privatis tantum Personis conficiuntur, cuius generis sunt *Cautio*, seu *chirografum*, quo quis fatetur quod alteri debet: *Apocha* seu scriptura, qua creditor fatetur se recepisse summam debitam; *Antapocha*, qua debitor profitetur se creditori solvisse debitum, ut omnis praescriptionis occasio auferatur; *Syngrapha*, quae fit propria pacifcentium manu; *Liber rationum*, in quo quis suas rationes, negocia, & computa describit; *Epistola* tandem, quam alter alteri mittit absenti; quorum omnium fides quanta esse possit, maxime attendenda est ex locorum consuetudine, quemadmodum monet Innocentius III. in *cap. cum dilectus de fid. Instrum.*

Instrumentis producendis semper est locus antequam in causa conclusum sit, imo etiam post conclusionem quandoque, si nempe tum emerserint, quod producens iurare tenetur *L. Videamus §. fin. ff. de in litem iurando.* vel si utatur producens privilegio restitutionis, quia ne debito tempore fuerint producta a parte adversa fuit impeditum; vel denique si causae criminales sint, aut matrimoniales, vel etiam beneficiales.

§. IV.

VIII. *De Probatione per Iusiurandum.*

Si cui probationes per idoneos testes, vel per instrumenta non suppetant, sed aliqua tamen ex semiplene probantibus, poterit sive ab Iudice, sive ab Actore iusiurandum adhiberi. Hoc autem non est aliud, nisi *Invocatio Divini nominis in testimonium alicuius rei.* Sicut illud definivit Augustinus *cap. 7. de sermone Domini in Monte.*

Triplicis generis est iuramentum huiusmodi, *voluntarium*, *iudiciale*, & *necessarium*. Primum ex mera partium conventione extra iudicium uni ab altero litigantium defertur, vel refertur *L. 1. & 2. ff. de iureiur.* Iudiciale non cogente, sed adprobante iudice pars parti alteri defert in iu-

iudicio; quod ubi non accipiatur, nec referatur suspicionem in recusantem generat, nisi obstiterit ignoratio eius rei, de qua iurari debuisset, *cap. ult. de iureiur. L. Marcellus §. I. ff. rerum amotarum*, vel nisi probata satis plena intentio fuerit *cap. 2. de probat.* Necessarium, quod & suppletorium appellari consuevit, plena deficiente probatione, actori, vel reo defertur *L. admonendi ff. de iureiurand.* Dicitur necessarium, tum quia illud ex necessitate ad supplendum probationis defectum Iudex defert: tum quia omnino alterutra partium subire debet; secus pars recusans pro confessa habetur, nisi delatum fuerit Actori, qui plenarie probaverit; aut reo, contra quem nihil probaverit Actor, *cap. 2. de probat. cit. & L. generaliter ff. de rebus creditis, & iureiur.* Deferri tamen non convenit iusiurandum, nisi semiplene probantibus, & remotis omnino ab omni suspicione periurii; quia per illud plena haberetur probatio, itaut Iudex ad definitivam sententiam progredi posset *L. 31. ff. de iureiur.*

Quamobrem hic animadver ite I. quod Iuramentum deferendum non est in causis gravioribus, neque in criminalibus criminaliter motis, quamvis concedatur reo criminaliter convento ad se tuendum *cap. fin. de iurej. & toto tit. de Purg. Can.* neque in causis, in quibus agitur de facto, cui non interfuit pars, a qua illud exigendum foret. II. quod quamvis sententia ab Iudice propter iuramentum prolata transeat in rem iudicatam; nihilominus si illud necessarium fuerit, ex novorum instrumentorum plane, & dilucide rem probantium productione, sententia eadem revocari debet *L. 31. cit.* quia per ipsum non censentur partes aliis probationibus renuntiasse, ut in iuramento voluntario, quod ex partium consensu defertur *L. ead.*

§. V.

IX. *De Probatione per Iudicis inspectionem.*

Quoties de iis agitur negotiis, quae non alia via, aut saltem non ita facile expediri queunt nisi oculari Iudicis inspectione, ut quaestio de novi operis nuntiatione, agrorum limitibus &c. de quibus *cap. 4. & fin. h. t. &*

6. de

6. de frigid. & malef. tunc Iudex vel per se, vel per Commissarios, aut alios artis peritos rem, de qua controvertitur, inspiciat necesse est.

Verum ut legitime haec inspectio fiat requiritur partis utriusque citatio, cum ad actum quemlibet omnes vocari debeant, quibus praeiudicium ex eo oriri poterit; neque partes absque suis respective testibus ad inspectionem accedant oportet, ut melius rem, reique statum exponere, & Iudicem informare possint. Demum quoties iudex artis peritis huiusmodi inspectionem committit, iuramentum ipsis deferre debet, quod in neutrius partis gratiam, sed quicquid reverà suâ conscientiâ deprehenderint, edicere velint.

§. VI.

X. *De Probatione per Praesumptiones.*

Praesumptio, de cuius vi ad probandum in iudicio sexto loco agendum nobis est, definitur passim ab I. C. anticipata de re dubia opinio deducta ex argumentis, indiciis, & coniecturis plerumque evenientibus ex rerum circumstantiis. Quia vero huiusmodi indicia, & coniecturae maioris, aut minoris momenti deprehendi solent, ideo maiorem etiam, minoremve inducunt praesumtionem.

Dividitur ergo praesumptio in praesumptionem *hominis*, & *legis*. Prima, quae & Iudicis dicitur ex *L. Nonius ff. de negot. gestis*, ex nullo iure inducitur, sed ex circumstantiis, & qualitate facti desumi a viris prudentibus assolet. Haec vero aliquando extra ipsam rem petitur, ut quando oritur ex concursu facti cum tempore, aut loco &c. aliquando autem ipsimet rei inest, attentâ illius naturâ, ut cum oritur ex eo quod est magis obvium, & naturale; aliquando fundatur in qualitate specifica illius talis rei, aut Personae, ut cum desumitur ex dignitate, indole, munere &c. de qua in *cap. Cum in Iuventute 15. de Praesumpt.*

Praesumptio vero iuris est probabilis coniectura deducta per ipsum ius ex quibusdam circumstantiis, sed non pro certo adserta; unde fit ut contra eam admitti possint probationes in contrarium, de qua in *L. Si Chirografum*

ff. de

ff. de Probation. & in capp. 3. 6. *&* 9. *de Praesumpt.*

Est etiam alia praesumptio *iuris*, *& de iure* appellata, & oritur quando lex nedum aliquid praesumit, sed etiam de eo tanquam sibi comperto disponit, & quod praesumitur pro vero habendum esse decernit. Huiusmodi praesumptionis exempla invenire est in *L.* 22. *C. ad S. C. Velleia. L. fin. C. Arb. tut. l. fin. C. ad S. C. Macedon. cap.* 2. *de Praesumpt. & cap. is qui fidem de Sponsalib.*

Ad Praesumptionum vim in Iudicio quod attinet animadvertatis oportet non eandem omnibus inesse. Nam primò Praesumptiones hominis, seu Iudicis, sunt vel *leves*, vel *probabiles*, vel *vehementes*. Leves, quae & temerariae, quia ex levibus habentur indiciis nihil probant *cap. Inquisitionis de sent. excom.* Probabiles, quia ex verosimilibus indiciis exurgunt, probant semiplene. Vehementes vero, seu violentae & vehementissimae, quia emergunt ex indiciis adeo efficacibus, ut Iudicis animum trahant, & violentent ad credendum rem ita se habere, gravem probationem inducunt, ex qua patere locum poenae ordinariae existimant DD. *arg. L.* 3. *C. Theod. de Abolit. L.* 2. *C. quorum appellat. L. I. §. Idem ff. de quaest. L.* 5. *§. In Barbaris ff. de re milit. cap. afferte, cap. illud quoque & cap. litteris de Praesumpt.*

Praesumptio iuris, quae & liquidissima probatio dici solet, pro veritate haberi debet, & plenam facit fidem, qualibet hominis praesumptione maiorem; ac proinde ipsi standum, donec contrarium probetur *L. fin. ff. quod metus causa, L. Cum de indebito §. fin. ff. de Probat.*

Praesumptio iuris & de iure non solum plenam facit fidem, sed neque contra eam admittitur probatio, nisi in contrarium haberetur confessio eius, pro quo stat praesumptio; exceptis tamen iis causis, in quibus ab partium potestate non pendet, ut huiusmodi praesumptio cesset, quemadmodum accideret in causa Matrimonii contra vetitum Ecclesiae contracti.

§. VII.

§. VII.

XI. *De probatione per notorium, & famam.*

Quamvis *notorii* nomine *relationem facinoris*, quae ab apparitoribus transmittitur ad Magistratum intelligant Budeus, & Gothof. in *L. Ea quidem ff. de accusat.* hic tamen notorium venit quidquid nulla potest tergiversatione celari, quia praesentibus civibus omnibus, aut eorum maxima parte gestum, vel dictum fuit, & iam super eo ab Iudice pronuntiatum. Quare in notorio opus non est, ut iuris ordine procedatur, nec appellatio conceditur *cap. pervenit, & cap. consuluit de appellat.* quia cum notoria probationibus non indigeant *cap. evidentia de accusat. & can. de manifesta XXIX. q. 1.* nullum imminet iudicio erroris periculum.

Differt notorium a fama, quod haec licet vulgo in urbe invaluerit, tamen non omnes cives, aut eorum pars maxima aliquid viderunt, ut in notorio, sed alii voce acceperunt ab aliis. Quapropter, ut ipsa semiplenam probationem faciat opus est, ut constans sit, & uniformis, originemque trahat a viris fide dignis, & quorum nihil interfit, *cap. primus de Elect. cap. praeterea, & cap. super eo de Testib.* Nihilominus in factis quibusdam, quae hominum aetatem excedunt, & aliae meliores non habentur probationes, fama etiam plenarie probat, seu verius, sufficienter, ut Iudex sententiam proferre queat. Quod tamen locum minime obtinet in caussis criminalibus, in quibus nec semiplenam inducit probationem, nec indicium ad torturam, nisi alia fuerint adminicula, *cap. 24. de accusat.* vel nisi probetur etiam per duos testes, ut animadvertunt DD. ex *cap. illud de Praesumpt. & L. de minore §. Tormenta ff. de Quaestion. L. Cum quidem §. Quod dicitur ff. de acquir. haered. & L. Labeo ff. de suppellectili legata.*

TITVLVS XV.

De Sententia, & Re iudicata.

I. SEntentia, ad quam denique cognitis iuribus Actoris, & Rei ab Iudice deveniendum est, nihil est aliud, nisi *iuridica declaratio, qua alter litigantium absolvitur, alter condemnatur, ac omni controversiae finis imponitur.* Per eam quippe quid Iudex de proposita controversia senserit, declaratur; & quidem non iuxta suam opinandi rationem, sed potius iuxta legis dispositionem, ut monet Abbas in huius Tit. *Rubric. ex can. iudicet III. q. 7.* Quamobrem sententia palam iniusta, aut ab iure dissonans, irrita est, nec ab ea appellari oportet, *cap. post longas 1. h. t. & cap. inter ceteras 5. eod.*

II. Sententia in scriptis redacta ab Iudice pro Tribunali sedente coram partibus proferatur oportet *cap. 4. h. t. in 6.* Et quamvis iudices inferiores huiusmodi Sententiae recitationem aliis demandare prohibeantur, Episcopus tamen id potest, si velit, *cap. etsi 5. eod. in 6.*

III. Sententia vero omnis duplex distinguitur, alia *interlocutoria* passim appellata, quae non litem dirimit, sed aliquid dumtaxat emergens, aut incidens in causa. Alia vero *definitiva*, quae recte prolata quaestionem propositam terminat *L. 1. ff. de re iudicata.*

IV. Illud hac in re observandum praesertim, quod interlocutoriam sententiam sive in principio, sive in fine causae latam Iudex semper revocare potest *L. quod iussit ff. de re iudic.* At non ita definitivam, quam declarare tantum, & eodem saltem die supplere potest, si quid omiserit *L. 42. ff. eod.* Et ratio discriminis inde petitur, quod Iudex post sententiam definitivam, definit esse Iudex *L. ead. & cap. 9. de Offic. delegati.* Hinc ab definitiva appellare cuique licet, non vero ab interlocutoria, nisi definitivae vim habeat *L. ante sententiam C. quorum appellationes non recipiantur*, & Trid. *Sess. XXIV. cap. 20. de Ref.*

V. Ad

V. Ad alteram Tituli partem quod attinet, docent I. C. sententiam servato iuris ordine prolatam, a qua condemnatus intra decem dies non appellaverit, transire in rem iudicatam, quod idem est, ac ius facere inter partes litigantes, ut saltem per remedium ordinarium retractari amplius nequeat, neque oppositae nullitates prodesse quid poterunt *L. Servo §. Cum Praetor ff. ad SC. Trebell.* & *Cap. Cum inter vos* 13. *h. t.* etiamsi ad eam rescindendam novum producatur instrumentum, vel aliquod aliud probationum genus *capp.* 20. & 21. *h. t.*

Potest tamen aliquando contingere, quod sententia incapax sit transeundi in rem iudicatam, vel quia iudex est incompetens *L. factum ff. de reg iuris*, vel quia haud lata fuit adversus novum comparentem *L. Si Servus §. I. ff. de Leg.* & *cap.* 17. *h. t.* vel quia legi divinae opponitur, & salutis aeternae dispendium importat, ut in causa Vsurarum, Simoniae, Matrimonii &c. *cap. lator* 7. *h. t.* vel quia demum evidenter constiterit fuisse latam ex falsis instrumentis, Testibus corruptis, & manifestam continere iniquitatem *cap.* 1. *h. t.* In causis vero criminum nulla sententia transit in rem iudicatam, cum possit ex Principis indultu semper revocari *cap.* 23. *Cum tu h. t.*

TITVLVS XVI.

De Appellationibus.

I. QVia saepe contigit, ut qui in iudicio victus succubuit, sibi illatum esse gravamen conqueratur, ideo iura remedium appellationis, & restitutionis in integrum litigantibus decreverunt. De primo itaque in praesenti, de altero in sequenti Titulo dicemus.

II. Non aliud itaque ad rem praesentem appellationis vocabulo venit, nisi *provocatio ab inferiori iudice ad Superiorem propter illatum, aut imminens gravamen facta.* Et est vel *iudicialis*, vel *extraiudicialis*; prior fit ab actibus iudicialibus, quibus se gravatum quis credit, qua-

 lis

lis erit illa, quae fit tum a sententia definitiva, tum ab interlocutoria. Extraiudicialis e contra fit ab actibus extraiudicialibus, quibus aliquis se gravatum queritur, vel gravandum probabiliter timet, quales sunt quae fiunt contra electiones, collationes, & provisiones ab eo, qui optabat *cap.* 8. *h. t. in* 6.

Differunt inter se iudicialis, & extraiudicialis appellatio. I. quia iudicialis necessario supponit iudicem, a quo appelletur, extraiudicialis vero fieri potest contra quemcumque, qui gravamen infert. II. Iudicialis suspendit executionem, & facit revocari attentata in contrarium *cap.* 55. *h. t.* In extraiudiciali vero rationabilis causa exprimatur oportet, & non primùm revocantur attentata, nisi postquam fuerit ab Superiore admissa *cap.* 16. *de Elect.* Quia haec non est proprie appellatio, sed potius provocatio ad Superiorem, ut dicitur in *cap.* 5. *h. t.*

III. Diversimode quoque se habet appellatio, quando ab definitiva, ac quando ab interlocutoria sententia fit. Nam I. appellatio a definitiva interponi incontinenti potest viva voce per verbum *appello*, aut aequivalens; quae vero ab interlocutoria in scriptis exhiberi debet, non secus, ac illa si post unum, aut alterumd iem fiat *cap.* 1. *h. t. in* 6. II. Appellans ab interlocutoria causam appellationis exprimere in scriptura tenetur *cap. eod.* non ita appellans a definitiva *L.* 2. *ff. h. t.* III. quoties a definitiva appellatur utrique parti licuerit novis probationibus uti, atque instrumentis, quae eandem principalem causam respiciunt *L. per hanc C. de temp. appell.* In appellatione ab interlocutoria nonnisi ex iisdem causis, & in appellatione expressis iustificatur processus primi Iudicis *Clem.* 5. *h. t.*

IV. Per appellationem quoque a definitiva suspenditur omnis iurisdictio Iudicis, a quo appellatur, itaut ad executionem procedere nequeat *L. un. ff. nihil innovar. appell. interp.*, dummodo non agatur de censuris absolute inflictis, quarum valor non suspenditur per interpositam appellationem *cap.* 53. *h. t.* Quamobrem tota iurisdictio ad iudicem superiorem devolvitur, qui nedum in causa principali, sed etiam in accessoriis, & incidentibus pronuntiare, & novam concipere, si opus fuerit, sententiam poterit *cap.* 55. *h. t. &* 18. *de Testam.*

V. Ap-

V. Appellatio vero ab interlocutoria, quamvis effectum habeat suspensivum, tamen medio tempore attentata non aliter revocantur, nec prius inhibitio conceditur, quam fuerit per appellantem causa gravaminis in appellatione expressa etiam probata *cap. 7. h. t. in 6.* Imo si gravamen huiusmodi per sententiae revocationem, aut correctionem sublatum fuerit, non posset appellatus Iudex ulterius in causa procedere *cap. 60. h. t.* Et quod spectat ad effectum devolutivum, nisi bene appellatum esse constiterit principalis causae cognitio ad primum Iudicem remitti debet *cap. 59. h. t. & L. 6. C. eod.* quoties hic sponte appellationi non detulerit, & sic iurisdictione seipsum spoliaverit, ut dicitur *cap. 5. h. t. in 6.*

VI. Vt vero appellatio suum sortiatur effectum, illam intra legitimum tempus interponere, praesentare, & prosequi debet appellans; quae tempora ab iure statuta *fatalia* a DD. nuncupantur, eo quod ab ipsis fatum sententiae dependeat.

Tempus itaque interponendae appellationis, licet olim biduum concederetur agentibus nomine proprio, triduum vero agentibus nomine procuratorio *L. 1. & 2. ff. Quando appellandum est*; hodie tamen novellis Iustiniani Constit. & iure Canonico decem dies ad appellandum destinantur *Auth. hodie de appellat. cap. 8. h. t. in 6. & cap. Cum dilectus de Elect.* Hoc tamen decendium licet ab initio sit utile, itaut non incipiat nisi post scientiam latae sententiae, vel eius intimationem; attamen postquam coepit est continuum.

VII. Post interpositam appellationem, ut ea praesentetur, debet appellans impetrare ab Iudice inferiori a *quo* appellat, *apostolos* idest, litteras dimissoriales, seu libellos ab ipso ad Superiorem datos, in quibus testatur appellationem fuisse interpositam, & a se admissam, vel non admissam adiectâ reiectionis causâ, quare hi libelli alii dicuntur dimissorii, alii refutatorii. Absque hisce apostolis appellatio non recipitur a superiore, nisi appellans doceret Iudicem inferiorem contumaciter illos denegasse. Tempus vero ad eos petendos, & concedendos est triginta dierum a die latae sententiae *L. Iudicibus C. h. t. Clem. 2. eod.* quod si huiusmodi tempus elabatur appellatio cense-

setur deserta, & sententia transit in rem iudicatam.

VIII. Tempus autem prosequendae appellationis in iure praecise determinatum non est, sed Iudex, *a quo* tenetur illud praefigere habita ratione distantiae Iudicis, *ad quem*, aliarumque circumstantiarum *cap. ad aures* 23. *h. t.* Videte Engel ad hunc *Tit.*

IX. Appellationis demum finiendae tempus est unius anni spatium, & legitimâ occurrente causâ ad biennium usque protrahitur *Auth. Ei qui C. Quo tempore Appell. & cap. eum sit Romana* 5. *h. t.* quod tempus secundum communem sententiam a die interpositae appellationis erit ducendum.

X. Huiusmodì appellationis beneficium ita gravatis conceditur, ut tamen ab eadem Sententia super eodem articulo, sive gravamine lata nonnisi bis appellare liceat *L. unic. C. ne liceat in una eademque causa provocare, & cap.* 55. *h. t.* Potest nihilominus Princeps ex speciali privilegio, & certi scientia novam causae cognitionem concedere. Imo etsi quis non audiatur tertio per viam appellationis, auditur tamen per viam nullitatis, ostendendo videlicet quod prior sententia fuerit ipso iure nulla, ita tamen, ut ipsa possit prius executioni mandari *Clem.* 1. *de Sent. & re iudic.*

XI. Ad Tituli complementum superest, ut dicamus quibus, a quibus Iudicibus, ad quos, & quibus in causis appellare liceat.

Omnes ergo possunt, nedum illi, contra quos sententia lata est, sed etiam quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui negotium gerunt alienum *L.* 1. *& seqq. ff. de appellat. recipiendis*, *II. q.* 6. *can. non solent*, *cap.* 17. *de sent.* & *rei iudic. & cap.* 55 *h. t.* Quinimo si unâ eâdemque sententiâ plures damnentur, & ceteris non appellantibus, unus eorum dumtaxat appellare, appellationis victoria omnibus proderit *cap.* 72. *h. t.* Denique in causa sanguinis contra capitalem sententiam quilibet extraneus appellare potest in favorem damnati, quem innocentem esse novit, aut probare vult *L. non tantum ff. de appell. & relat.*

XII. A quovis Iudice superiorem cognoscente appellare ad immediatum superiorem fas est, nisi agatur de cau-

caufis ecclefiafticis, & fpiritualibus, in quibus etiam praetermiffis mediis adiri poteft Romanus Pontifex tanquam totius Ecclefiae caput *can. omnis oppreffus*, *& can. ad Romanum II. q. 6. & can.* 4. *II. q.* 3. Non poteft ab arbitris appellari, ut alibi diximus, neque ab executore fententiae ab alio prolatae *cap. novit h. t.* & neque ab eo Tribunali, quod unum, idemque conftituit corpus cum perfona Supremi Principis.

XIII. Demum in omnibus caufis adpellatio admittitur, dummodo non fit manifefte inhibita. Et 1. quidem iure civili non admittuntur appellationes a fententiis interlocutoriis haud habentibus vim definitivae, nec inferentibus gravamen irreparabile per appellationem a definitiva *L. ante Sententiae C. quorum appellationes recipiantur*. Et quamvis iure Canonico olim admitterentur ex *cap.* 11. *&* 12. *h. t.* nihilominus iuris civilis difpofitionem adoptavit Trid. *Sefs. XIII. cap.* 1. *& Sefs. XXIV. cap.* 20. *de Reform.*

2. Propter delicti atrocitatem non habet locum appellatio a fententia definitiva in caufis criminalibus delicti laefae maieftatis divinae & humanae *cap.* 18. *de haereticis in* 6. *& l. Conftitutionis ff. h. t.* falfae monetae *L.* 1. *C. de Falfa moneta*, Raptus Virginum *L. un. C. de raptu*, & fimilium criminum; modo tamen convicti fuerint, aut fponte confeffi, non vero tormentorum vi.

3. Appellare non poffunt qui in Iudicio transfigerunt *cap* 1. *& ult. de Tranfact. ac L.* 16. *&* 20. *C. eod.* Qui per delationem iuramenti voluntarii caufam terminarunt *L.* 5. *§.* 2. *ff. de Iureiur.* Qui appellationis beneficio renuntiarunt, five per pactum expreffum *L. I. ff. a quibus appellare non licet*, five tacite exercendo actum aliquem appellationi contrarium *cap.* 54. *§. fin. h. t.* 23. *de Teftib. &* 20. *de Off. Delegat.*

4. In caufa, quae dilationem non patitur haud locum habet appellatio faltem quoad effectum fufpenfivum, ut fi iubeat Iudex Teftamentum aperiri, fcriptum haeredem mitti in poffeffionem &c. *L. ult. ff. de appellat. recipiend.*

5. Neque in notoriis ubi veritas adeo patet ut nulla poffit tergiverfatione celari *cap.* 61. *h. t. &* 3. *eodem in*

6. Quemadmodum in causa quam Iudex definierit, secundum claram iuris dispositionem *L. 7. §. I. ff. de appellat. recipiend. & cap. 29. h. t.*

6. Non admittitur appellatio a legitima Superioris correctione *cap. 2. de Off. Ordin.* nisi superior modum in corrigendo excesserit. Quod confirmavit Trid. *Sess. XXIV. cap. 10. de Reform.* statuens quod visitationem & morum correctionem nulla inhibitio, appellatio, seu querela impedire, aut suspendere possit.

7. Appellari non potest a Sententia prolata contra verum contumacem *L. 1. C. quorum appellationes non recipiantur.*

8. Demum in rerum parvi momenti causis saltem ex iure Caesareo non est admittenda appellatio, ut docent DD. licet ius Canonicum id concedat *cap. 11. h. t.*

TITVLVS XVII.

De restitutione in integrum.

I. Alterum iuris remedium in favorem illorum, qui gravamen passi sunt, aut se passos esse existimant, est in integrum restitutio, qua postulent, ut in statum pristinum ex iusta causa restituantur.

II. Competit huiusmodi restitutionis beneficium I. minoribus xxv. annis propter fragile, & infirmum aetatis consilium *L. 1. ff. de minoribus, & cap. 8. h. t.* II. Reipublicae, Principi tanquam Reipublicae capiti, universitati, ceterisque corporibus, quae aliena manu reguntur *L. Respublica C. quibus ex causis maiores &c. & L. Remp. C. de iure Reip.* III. Ecclesiae nedum adversus privatos, & laicos, sed adversus quoque aliam Ecclesiam *cap. 1. & seqq.* eodem privilegio fruuntur omnia loca pia, quae in favorabilibus Ecclesiis comparantur *cap. 2. de consuetud. & L. 35. C. de Episcopis, & Cler.* IV. Maioribus etiam xxv. annis ob legitimam absentiam, & errorem, aut

aut circumventionem *L. 1. & seqq. ff. quibus ex causis maiores in integrum restituantur*.

III. Est nihilominus notabile discrimen inter eiusmodi beneficium minoribus competens, & maioribus indultum. Nam ut eo utatur minor, Ecclesia, aut Respublica sufficit quod ex actu, vel contractu, aut sententia gravis laesio contigerit, nec opus est alia probatione, cum omnium loco sint minor aetas, Ecclesiae favor, & Reipublicae commune bonum. At vero in maioribus propter allegatam laesionem requiritur alia iusta causa v. g. absentia Reip. gratia, detentio in vinculis, captivitas, circumventio &c. Praeterea maioribus nunquam conceditur restitutio, quando suppetit remedium ordinarium; minoribus vero quoties est utilior *L. 2. C. de rescind. vendit.*

IV. Datur quoque restitutionis remedium contra sententiam ipsius Principis, aut Summi Pontificis, quoties ex ea, quemadmodum ex omni alio contractu enormis evenerit laesio.

V. Tempus petendae in integrum restitutionis in utroque iure quadriennium utile concessum est, quod propterea non currit ignoranti, minori, aut legitime impedito *L. ult. C. de Temporib. in integrum restit. & cap. Ecclesia h. t. in 6.* ubi de minoribus statuitur, ut huiusmodi tempus incipiat dumtaxat a primo die anni XXVI. nisi veniam aetatis impetrassent *L. 1. C. de his qui veniam aetatis impetrarunt*. Etsi vero elapso praedicto quadriennio concedi amplius non solet huiusmodi restitutio in integrum, potest nihilominus aliquando iusta causa subesse, qua Iudex etiam ad eam concedendam moveatur, ut si revera praevaricatio in iudicio fuerit, fraus enormis in contractu &c. ex *cap. I. h. t. in 6. & arg. cap. 11. de reb. Ecclesiae non alienandis*.

VI. Statim ac postulatur restitutio suspenditur latae sententiae executio, nisi dolo malo postulari prudenter suspicetur *L. un. C. de in integrum restitut. postulata*, & *cap. Scifcitata h. t.* Et ubi etiam obtenta fuerit, si est contra sententiam, haec corrigi debet, si contra contractum omnia in pristinum revocantur *L. 24. §. Restitutio, 27. §, Si pecuniam ff. de Minoribus, & 16. C. de Praediis Minorum*.

VI. De-

VII. Debet denique restitutio peti ab Iudice ordinario, vel etiam Delegato, quoties id ei specialiter fuit demandatum, aut ad commissum sibi negotium incidenter pertinet *L. in causa, & seq. §. ff. de minor. & cap. cum causa h. t.* Videte Glossam ibidem. Et haec pro III. Instit. Libro.



IN-

INSTITVTIONVM CANONICARVM

LIBER QVARTVS.





Vplex omnino esse iudiciorum genus superiori libro diximus, aliud nempe civilium, criminalium aliud. De primis quantum nobis licuit, iam ibi satis est actum, superest ergo ut de istis breviter agamus. Et quoniam quae instituuntur criminalia iudicia vel accusatione, vel denuntiatione, vel inquisitione instituuntur, ideo ab his quoque initium nos ducamus oportet.

TITVLVS I.

De accusationibus, denuntiationibus, & inquisitionibus.

I. Accusatio itaque est *criminis alicuius apud Iudicem competentem vindictae publicae causa in scriptis facta delatio cum inscriptione, & subscriptione delatoris.* Huiusmodi libelli accusatorii formam ex *L.* 3. *ff. h. t.* exhibet Gratianus ad calcem *can.* 5. *II. q.* 8. ubi praecipue observandum occurrit, quod accusator se libello inscribere tenetur, nedum in publicis delictis, sed etiam in privatis criminaliter intentatis; quod adprobat Innocentius III. in *Capp.* 16. & 24. *h. t.* & confirmat Tridentinum *Sess. XXIV. cap.* 3. *de Reform.* Hac inscriptione profecto seipsum obligat accusator ad crimen probandum, vel

ad

ad poenam talionis subeundam eam nempe, si non probaverit, quam reus pati debuisset, ut docet Glossa ad idem *cap. 16.* & habetur *can.* 4. *ib.* Hanc tamen libello se inscribendi necessitatem non subeunt qui per exceptionem crimen obiiciunt, vel qui tanquam denuntiatores ad iudicium accedunt, cum non publicam vindictam spectent, sed illi suam defensionem, delinquentis correctionem isti; nihilotamenminus ubi non constiterit crimen, serio sunt corripiendi, ut imposterum cautiores denuntient.

II. Institutam accusationem qui deseruerit, impensas, & damnum reficere cogitur; imo de iure civili etiam infamiam incurrit *L. Spurii 6. ff. de Decur.* Potest nihilominus aliquando aboleri accusatio; & I. cum abolentur reorum nomina publicae letitiae gratia *L. Si interveniente ff. ad S. C. Turpil.* II. Si probet accusator se per errorem falso accusasse. III. Si decesserit is, aut legitime impediatur, nec alius prosequatur accusationem, quanquam, si ex gravioribus delicta fuerint, iudicium instauraretur per inquisitionem.

III. Attamen notate hic, deserentem institutam accusationem poenas non effugere ex eo, quod libellum in scriptis non exhibuerit; nam satis est, si, quemadmodum fert praxis, accusatio oretenus fiat, & per publicum actuarium redigatur in scriptis, quoties cetera fuerint servata, quae iure exquiruntur.

IV. Accusare generatim loquendo possunt omnes, qui ob aetatem, sexum, statum, officium, defectum, delictum, suspicionem calumniae, sanguinis coniunctionem, vel reverentiam non prohibentur ab iure, quemadmodum habetur *II. q. 1. can. 12. & L. 8. ff. h. t.* & iidem fere sunt, quos ut minus idoneos ad testificandum recensuimus. Hi tamen omnes praeter ratione carentes, & excommunicatos, ubi suam, vel suorum iniuriam prosequantur ab accusatione repelli nequaquam possunt *L. 11. ff. h. t.* quemadmodum ubi de crimine agitur laesae maiestatis, blasphemiae, apostasiae, haeresis, simoniae, sortilegii, falsae monetae, falsi Testamenti &c. in quibus quilibet ad accusandum admittitur, exceptis capitalibus inimicis, & ratione sui status clericis, & religiosis, quoties poena sanguinis imminet reo.

V. Quem-

V. Quemadmodum nonnulli accusare, ita etiam alii accusari nequeunt, hique sunt; Mortui, absentes causa Reipublicae, Legati Principum, Magistratum exercentes, data interim cautione *de se sistendo*, absoluti semel, vel damnati de crimine eodem, infantes, furiosi, aliique doli incapaces. Videte text. ad *L. Corneliam de Sicariis*, & alibi, praesertim *ff. h. t.*

VI. Vbi vero accusator, & accusatus in iudicio comparuerint, in carcerem recipi, & ibi usque ad causae finem manere debent, maxime si de poena capitali agatur, cum uterque sit de fuga suspectus *L. ult. c. de accusat.* & *L. 2. c. de exhibendis reis*; & licet poena talionis amplius accusatori non immineat, tamen id iudicis arbitrio relinquitur.

VII. Alter procedendi in criminalibus modus est per denuntiationem, quae definiri solet; *criminis alicuius apud Iudicem sine inscriptione facta delatio*; & dividitur passim in *Evangelicam*, *Canonicam*, *&* *Civilem*. Prima est, quae fit ad spiritualem alterius emendationem; idcirco eam praecedat oportet una, & altera monitio, ut docemur ex Matth. XVIII. 21, & Lucae XVII. 3. Canonica a sacris Canonibus est instituta ad coërcenda delicta adversus Ecclesiasticas sanctiones perpetrata II. *q. 7. cap.* 47. Civilis demum ad publicam vindictam est adinventa, ut nempe publici quidam ministri ab iudice destinati crimina in Republica, vel civitate commissa scrutentur, & ad ipsum referant. Alii vero melius fortasse denuntiationem dividunt in *Evangelicam*, de qua diximus, & *Iudicialem*. Hanc subdividunt in *publicam*, & *privatam*; primam dicunt, quae fit ad publicam vindictam sive a publicis ministris, sive a privato quolibet; & haec proprie est criminalis denuntiatio. Privatam vero, quae fit ad privatum tantum negotium; & haec est proprie Civilis, cum non publica vindicta intendatur a denuntiante, quamvis subinde Iudex ex officio ad eam procedat.

VIII. Denuntiare Iudici ad publicam vindictam possunt omnes, & soli qui accusare non prohibentur, & vicissim, qui accusari non potest, neque potest denuntiari. Ex recepta tamen consuetudine ad denuntiationem faciendam non repelluntur inhabiles ad accusandum, cum per ipsam nonnisi sternatur via ad inquirendum. IX. De-

IX. Denuntiator praeter libelli inscriptionem ea praestare debet quae accusator. Quinimo debet statim denuntiare etiam testes, probationes, & instrumenta quae scit, vel habet, ut Iudex ad inquisitionem procedere queat; cum accusatori satis sit ea omnia praestare tempore, quo erunt necessaria ad probationem sibi incumbentem.

X. Tertius denique procedendi modus est per inquisitionem, quae est investigatio criminis ab Iudice ex officio facta; & quamvis olim de iure communi sine accusatore damnaretur nemo *L. 6. §. 2. ff. de Muner. & honor.* adeoque huiusmodi procedendi per inquisitionem modus esset extraordinarius; hodie tamen ob defectum accusatorum evasit ordinarius, partes accusatoris exercentes Promotor, & Advocatus Fiscalis.

XI. Est vero inquisitio vel *generalis*, vel *specialis*, vel mixta. In generali Iudex ex officio de delictis in genere inquirit ut in *Cap. I. de Off. Ordin.* & *L. congruit ff. de Off. Praesid.* In speciali de aliquo certo delicto, & aliqua determinata persona. In mixta demum de aliquo certo crimine, sed de aliqua incerta persona, vel vicissim, de qua *Cap. cum nobis*, *Cap. per venerabile de Elect.* & *can. 4. dist. 28.*

XII. Cum generalis inquisitio non sit nisi praeparatoria ad specialem, docent passim DD. ex *cap. 1. de Off. Ord.* fieri illam posse nulla etiam praecedente infamia, nulloque criminum commissorum indicio; huius quippe generis sunt omnes visitationes statis temporibus per Episcopos in suis Dioecesibus faciendae; inquisitiones &c. secus vero, est in speciali, & mixta, ubi criminis diffamatio exsigitur vel indicia, aut semiplena probatio *cap. qualiter, & quando, & cap. Inquisitiones de Accusationibus.*

XIII. Quoties ergo huiusmodi indicia emerserint, investigare debet Iudex, quid ferat de illâ personâ fama, quod utique omni maiori circumspectione, & prudentiâ exequatur oportet, ne per illam ipsam inquisitionem inquisiti existimatio laedatur, atque inde nascantur iniuriae, ut dicitur in *cap. 17. de Accusat.* Quod si hoc iuris ordine non servato processerit iudex, legitimam exceptionem, aut etiam appellationem interponeret inquisitus, qua neglecta pro-

processus Iudicii esset omnino nullus *cap. 1. & 2. de Accusat. in 6.* Ubi tamen decernitur quod si praesens fuerit inquisitus, & nihil exceperit intelligitur proprio iuri, aut favori renuntiasse.

XIV. Haec autem diffamatio in quibusdam criminibus quam maxime reipublicae noxis, & ex quibus impendat aliis periculum eversionis necessaria non est; cum ex levi notitia, atque ex sola socii confessione peculiaris inquisitio instituatur, ut in crimine haereseos, Apostasiae, laesae maiestatis, falsae monetae &c. quemadmodnm optime deducunt DD. ex *cap. Excommunicamus §. Adiicimus de Haeretic. & L. Apostatarum 4. C. de Apost.*

Neque necessaria est eiusmodi diffamatio, quoties inquisitio instituatur dumtaxat ad finem mali alicuius impediendi, ut si agatur de officiorum, & beneficiorum collatione, de contrahendo matrimonio &c. Quinimo neque necessaria est diffamatio ubi publica criminis suspicio fuerit contra aliquem, aliunde non infamatum, *arg. L. 1. ff. ad I. C. Sillan.*

XV. Facta ergo inquisitione, seu processu informativo, si ex eo plena, aut saltem semiplena probatio habeatur, constituendus est reus, citandus nempe ad personaliter comparendum; imo etiam si de gravi crimine agatur, & de poena corporali infligenda, timeaturque eius fuga procedendum erit ad incarcerationem.

XVI. Reo comparente, & constituto debet primò ei iuramentnm deferri de dicenda veritate iuxta Tribunalium praxim. Deinde ab Iudice, vel Commissariis coram Promotore Fiscali examinandus est super Articulis, & interrogatoriis, quae ex processu informativo sunt depromenda; quod si reus respondere absque dilatione detrectaverit poenis, & tortura cogi poterit. Obtinet etiam ex consuetudine, ut reus examinetur ante datas eidem defensiones, & copiam processus informativi, atque depositionum contra ipsum factarum a Testibus. Non semel tantum, sed bis, & tertio examinari potest reus, qui si in negatione perstiterit, Testes qui in praevia informatione auditi fuerunt rursus examinari debent, citato reo ad videndum ipsos iurare, non ad audiendum quid deponant; Interdum quoque Testes praedicti iubentur suam depositionem renovare

co-

coram ipso reo, quae depositionis renovatio appellari consuevit *confrontatio*.

XVII. Finito huiusmodi examine debet Iudex offerre reo Patronum, nisi proprium habeat, eique concedere defensiones cum competenti termino trium, aut quatuor dilationum, etiamsi reus iam confessus, & convictus esset. Quinimo nomina Testium, eorumque depositiones eidem notificentur oportet, ut possit se tueri, & exceptiones proponere adversus eorum dicta, & personas *cap.* 24. *h. t.* quod tam n praestari minime debet, quoties ob potentiam inquisiti aut consanguineorum testibus imminere periculum iure timeretur. Congestae denique per Patronum defensiones Advocato Fiscali exhibentur, cuius munus est ad easdem respondere contra reum pro iustitia vindicativa.

XII. Quoties vero de crimine satis clare constiterit, & reus iam confessus, & convictus habeatur procedendum erit ad sententiam; si autem nec confessus, nec plane convictus sit & tamen semiplena contra ipsum habeatur probatio iuxta Tribunalium praxim applicandus erit torturae, nisi ex iis fuerit qui de iure ab tortura eximuntur, ut sunt senes, infirmi, mulieres pregnantes, &c.

XIII. Quia vero confessio vi tormentorum extorta non probat ad poenam saltem ordinariam, ideo altera die extra torturae locum, & absque vinculis releguntur reo ab actuario quae in tortura deposuit, ut eadem ratificet, quod si praestiterit pro confesso habetur. Huius vero confessionis copia Patrono conceditur, ut infra triduum rei novas defensiones prodat, quae iterum Advocato Fiscali sunt tradendae ad opponendum. Quibus omnibus perpensis Iudex ad definitivam sententiam descendet.

XIV. Pro complemento notate in iudicio criminali non semper iuris solemnitatem requiri, cum aliquando procedi possit summarie, ut in delicto Notorio, notorietate *iuris* aut *facti*; quia videlicet vel res ita est evidens, ut nulla possit tergiversatione celari; vel reus in fraganti deprehensus fuit.

XV. Si tamen per inquisitionis iudicium probatum fuerit crimen regulariter poenam ordinariam non meretur *cap. Inquisitionem h. t.* quod locum non obtinet in crimi-

ne.

ne quod de iure impedit ordinis exercitium, ut esset irregularitas probata.

TITVLVS II.

De duplici purgatione.

I. Accidit plerunque ut innocenti accusato ordinariae probationes, quibus se tueatur, desint; quapropter ad innocentiae praesidium extraordinarius modus adinventus est, legibusque approbatus, qui purgatio passim appellari consuevit, & duplex distinguitur, *Vulgaris* una, *Canonica* altera.

II. Vulgaris quidem, quia populi superstitione potius, quam Canonum auctoritate introducta *can. Monomachiam*, & *c. Mennam II. q. 5.* variis modis olim peragebatur, aliquando nempe per Duellum, *capp. 1. & 2. de Purg. vulg.* Non raro etiam per ignem, seu per rogum, aut per ferrum candens, vel per vomeres ignitos, quorum experimento, praecedentibus tamen variis exorcismis, & precibus, se committebat infamatus, *cap. 3. eod.* Multoties quoque fiebat per iudicium aquae frigidae, in quam proiiciebantur accusati, qui si submergebantur Innocentes, si vero supernatabant Rei pronuntiabantur; vel etiam per discrimen aquae ferventis, in quam nudato brachio manum de crimine suspecti immittere cogebantur, & ubi illaesam extraxerint insontes habebantur, &c. Quae quamvis ab Ecclesia fuerint diu tolerata, tandem optima ratione fuerunt prohibita primùm a Nicolao Papa, & postea a pluribus illius successoribus *can. consuluisti II. q. 5.*

III. Purgatio vero Canonica *iudicium Crucis* olim dicebatur; & quamvis de forma, qua fiebat, adhuc incompertum apud Scriptores, nihilominus non improbabiliter quidam putant eam non fuisse aliam, nisi iuramentum ad Crucis contactum praestitum. Quare hodie quoque tota ratio purgationis Canonicae consistit in iuramento, quo quis a crimine sibi obiecto se immunem esse adserit Deum in testem vocando, quod purgationis genus locum etiam

N ob-

obtinet in Pandectis *L. 4. §. Sed si servus ff. de Edendo.* ac expresse adprobatur iure Decretalium, eiusque forma describitur praesertim *cap. 5. de Purgat. canonic.*

IV. Ipsius indicendae ius penes Iudicem competentem residet *cap. Nos inter 6. eod.* Verumtamen non ad illius arbitrium indici debet, sed praecesserit necesse est vel accusatio vel publica infamatio cum sufficientibus indiciis, & praesumtionibus *capp. 4. 12. & 14. eod.* dummodo delictum notorium non fuerit *cap. 15. eod.*

V. Quoniam vero accusatus per huiusmodi purgationem constituitur veluti Iudex in propria causa, ne ipsi facilis peierandi aditus praebeatur exigunt Canones, ut nedum iuret accusatus, sed etiam ut alii, quos Compurgatores vocant, iureiurando adfirment se credere iurantem vera dixisse, & revera innocentem esse *cap. 2. aliisq. eod.* Vnde patet discrimen inter iuramentum purgandi, & compurgatorum; ille enim iurat de *Veritate*; isti de *Credulitate cap. 5. h. t.* Horum vero copiam qui non habuerit, quod peregrinus sit, ignotus, vel pauper, hoc etiam iurare cogitur, Abbas in *cap. inter de purgat. can.*

VI. Admissus demum accusatus ad sui purgationem, si ab hac deficiat, quia compurgatores delictum suspicantes iurare noluerunt, veluti convictus damnandus est ab Iudice iuxta praesumtionis gravitatem ordinariâ, vel extraordinariâ poenâ *capp. 11. & 13. de Sim.* & 10. *de Purgat. can.* Plura de huiusmodi canonica purgatione dicere non est opus, praesertim cum rarior evaserit eius usus, imo verius in desuetudinem abierit.

TITVLVS III.

De Criminibus, & praesertim de Simonia.

I. IVdiciis, de quibus hic agendum nobis proposuimus materiam suppeditant crimina, quorum iure civili celeberrima divisio est in *publica*, & *privata*. Eorum delatio, sive accusatio cuivis e populo datur; horum vero iis dumtaxat, quorum interest; illa quoque ex suapte

na-

natura reis infamiam ingerunt; haec nequaquam. Omnia tamen vel *capitalia* sunt, vel *non capitalia*. Primi generis poena est mors naturalis, aut civilis, sive aquae, & ignis interdictio. Alterius vero pecuniaria mulcta, aut simplex corporis coercitio. At iure nostro Canonico praeter vulgatam illam, quam superiori libro indicavimus in *Secularia*, *Ecclesiastica*, & *Mixti fori*, ea est criminis partitio praecipua, ut alia sint, quibus *Proximus*, alia quibus *Deus* ipse potissimum laeditur. Haec inter sese primo offert *Simonia*, quam haeresim omnium antiquissimam, & adeo grave flagitium, ut huic comparata cetera nihil fere sint, Patres existimarunt. De hac igitur primo loco agemus, de aliis infra.

II. *Simonia* itaque a Simone Mago propter factum, quod Actorum VIII. narratur, sic dicta, definitur passim: *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi spiritualia, vel spirituali adnexum pro temporali*. Dicitur *studiosa voluntas*, idest deliberata cum advertentia mali; cum enim res sacrae ab contractuum commercio exemptae sint, ideo actus ille prohibitus explicari non potest nomine emptionis, & venditionis, sed voluntatis *emendi*, aut *vendendi*; sub cuius voce venit quilibet alius contractus non gratuitus. Dicitur quoque *aliquid spirituale*, *aut spirituali adnexum* idest nedum quodlibet supernaturale donum ad animae salutem directe ordinatum, sed omne temporale etiam quod spiritualibus aliquo modo adnectitur. Dicitur demum pro *temporali*, nam si daretur spirituale, pro spirituali, sicut non esset verus contractus, ita neque Simonia. Ex his colligere est ad Simoniam tria omnino, concurrere videlicet *pactum*, *munus*, seu pretium temporale, & *mercedem*, seu rem spiritualem, aut spirituali adnexam. Pro quorum maiori intelligentia notate.

III. Huiusmodi quidem pactum non requiritur necessario quod sit explicitum, sed sufficit implicitum saltem ex una parte incohatum vel intentum, quo quis temporale aliquid dat, aut dare proponit animo, ac intentione alterum obligandi & movendi ad reciproce dandum spirituale, & econtra, etiamsi hunc animum verbis, aut signis expressis non manifestaret, *cap.* 18. *&* 34. *h. t.*

IV. Munus quoque seu pretium quod in Simonia in-

tervenit triplex est, aliud *a manu*, aliud *a lingua*, aliud *ab obsequio* ut docemur *Can. sunt nonnulli* 114. I. *q.* I. Munus a manu est nedum pecunia stricte sumpta, sed quaelibet etiam res temporalis pretio extimabilis, quae pecuniae aequiparatur I. *q.* 3. C. 6. Munus ab obsequio est omne servitium, vel obsequium temporale tacito, vel expresso pacto pro re spirituali praestitum, vel praestandum. Munus denique a lingua sunt laudes, commendationes, preces, intercessiones, officia &c. quae tacito vel expresso pacto pro re spirituali, aut spiritualibus adnexa interponuntur, aut exiguntur in futurum apud Magnates, Principes &c.

V. Mercis denique nomine veniunt, ut dicebam ipsae res spirituales seu spiritualibus adnexae, quae pro temporali pretio dantur, vel accipiuntur; omnia scilicet quae eiusmodi sunt naturae, ut gratis dari debeant iuxta illud: *gratis accepistis, gratis date*. Attamen Simoniacum non est vel pro celebratione Missarum, vel pro Sacramentorum administratione &c. aliquid temporale accipere, non quidem ut pretium rei spiritualis, sed ut debitum stipendium ad vitae sustentationem eorum, qui altari inserviunt; idque iuxta modum ab Ecclesiasticis Statutis praescriptum vel laudabili consuetudine inductum, non tantum sponte oblatum accipere possunt Ecclesiae Ministri, sed etiam exigere.

Ita quoque quae spiritualibus adnectuntur quoties unum ab altero est separabile emi, & vendi possunt absque Simoniae piaculo, ut Vasa Sacra, vestes, & ornamenta reliquiarum; dummodo tamen pluris non vendantur, ac venderentur si sacra non forent, & reliquias non continerent. Huiusmodi tamen separatio locum non habet in beneficiorum collatione; cum ius ad temporales proventus beneficiato non detur nisi propter officium spirituale; adeoque ut optime docemur *I. q. 1. can. 7. Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.*

VI. Omnis vero Simonia triplex est *mentalis* nempe, *conventionalis*, & *realis*. Mentalis quidem cum quis dat spirituale pro temporali, & vice versa, sed absque ullo pacto expresso, aut tacito externe manifestato, ea tamen interna intentione, seu proposito ut movat alterum, obliget,

get, & alliciat &c. De hac Simoniae specie agitur *cap.* 34. *& fin. h. t.*

Conventionalis Simonia est in qua intervenit conventio, seu pactum expressum, vel tacitum expresse manifestatum, sed tamen effectu postea caruerit. Huiusmodi conventionalis Simoniae casus occurrit in *cap*, 12. *h. t.* si ergo ex nulla parte fiat executio dicitur conventionalis *pura*, si vero ab aliqua parte executioni mandari coepit vocatur conventionalis *mixta*, utpote participans aliquid de pura conventionali, aliquid de reali.

Realis denique Simonia committitur quoties conventioni integra accedit executio, sive utrinque traditio. Huius Simoniae rei habentur nedum ipsi paciscentes, sed etiam omnes mediatores, sponsores, depositarii &c. Adiungunt nonnulli *fiduciariam*, seu *confidentialem* ad unam, vel alteram ex enumeratis facile referendam, in quam incidit conferens, vel procurans alteri beneficium ea mente, ut hoc sibi, aliisque postea resignetur, vel ex eo redditus aut pensionem percipiat.

VII. Dividitur praeterea Simonia, ut alia sit *iuris divini*, alia *Ecclesiastici*: Illa est eadem quam usque modo prosecuti sumus. Altera vero committitur quoties spirituale pro spirituali datur, aut temporale pro temporali contra Ecclesiasticam legem eas permutationes sub poenis Simoniacorum prohibentem ob periculum, & speciem Simoniae iuris divini; ita v. g. prohibetur beneficiorum permutatio propria auctoritate facta *cap.* 4. *de Pactis*, *&* 4. *de Transact.* Venditio officiorum temporalium Ecclesiae ut Economi, Sacristae &c. *I. q.* 1. *C.* 8. *& cap.* 38. *h. t.* haec de Simonia, pauca de poenis.

VIII. Aucturi autem de huiusmodi poenis in Simoniacos decretis primum animadvertamus oportet eas *ipso iure* & *facto* non incurri ob quamlibet Simoniam, sed propter eam tantum, quae committitur vel in susceptione ordinum vel in religionis ingressu, vel denique in collatione, & receptione Ecclesiastici beneficii, cum nonnisi de his iura loquantur, ut patet ex Extravag. *cum detestabile*, & alia *Sane h. t. inter Com.* quemadmodum quoque ex Bulla Pii V. *Intolerabilis*.

1. Nullam incurri poenam in foro exteriori ob solam

 men-

mentalem Symoniam quolibet in casu commissam *cap.* 3. *& fin. h. t.* quod docent etiam quam plurimi DD. de pura conventionali ex *cit. Extrav. cum detestabile*, & ex Constit. *cum tam divino* Iulii II. quinimo eorum nonnulli illud idem sentiendum quoque putant, defenduntque ob Conventionalem mixtam; verum ipsis minus hac in re favet D. Thomas II. 2. *q.* 100. *art.* 1. ac plures cum ipso melioris notae Canonistae, secundum quos perinde est pro spirituali accepto, vel dato fuerit ne tradita pecunia, an tantum promissa I. *q.* 3. C. 5.

Ad poenas itaque in Simoniacos decretas quod attinet, nulli dubium esse poterit quin utrumque ius gravissimas constituerit. Caesareum quippe Simoniace promotos deponi, & agentes, ac consentientes, infamiâ notatos a gradu turpiter depelli iubet *L. si quamquam* 29. *C. de Episc. & Clericis, ac alibi*. Nostrum vero Canonicum eos sive manifesti, sive occulti fuerint, excommunicatione Romano Pontifici reservata innodavit; Electiones vero, Postulationes, collationes quascumque &c. Simonia pollutas irritas, & cassas omnino pronuntiavit; & sic electos vel institutos beneficium etiam dimittere, fructus perceptos restituere, & ab ordinibus universis, etiam antea susceptis remanere suspensos praecepit; Electores, Collatores &c. illico ab omnium Ordinum Collatione, eligendi iure &c. expoliatos, ut videre est in toto *Tit. de Simonia*, & alibi incidenter, quae iura confirmarunt postea secuti Romani Pontifices.

TITVLVS IV.

De Haereticis, Schismaticis, & Apostatis.

I. Haeresis est error contra Catholicam fidem. Dividitur in *materialem*, & *formalem*; illa non ex malo animo, sed ignorantia potius, & defectu debitae cognitionis proficiscitur, nec proprie est haeresis 24. *q.* 3. C. 29. Formalis vero error est voluntarius, quem Christianus pertinaciter tenet contra aliquam Catholicorum do-

dogmatum doctrinam. Et dividitur in *internam*, seu mentalem, & *externam*. Interna quatenus nec signis, verbisve manifestatur; externa vero foris aliquo modo prodit. Quamvis autem interna etiam haeresis gravissimum peccatum sit, Ecclesia tamen de occultis non iudicat *cap. 33. de Simonia*. Sola ergo formalis externa haeresis Canonicis subiicitur poenis.

II. Inter has vero prima est excommunicatio Rom. Pontifici reservata, quam ipso iure, & facto incurrunt haeretici *capp. 8. 9. & 13. h. t.* & ex Bulla Caenae Domini §. I. Eorum quoque receptores, fautores, & defensores. Tridentinum nihilominus *Sess. XXIV. cap. 6. de Ref.* concessit Episcopis potestatem absolvendi ab huiusmodi excommunicatione haereticos fere occultos, qui videlicet se ipsos non manifestarunt, nisi quibusdam tantum, penes quos non est probabile divulgationis periculum. An vero huic Tridentini decreto derogatum sit per Bullam Coenae Domini, non una erat Doctorum sententia. At demum per Constitutionem Benedicti XIV. fel. regn. declaratum fuit amplius fas id episcopis non esse.

III. Praeter excommunicationem aliae sunt in haereticos poenae statutae; & primo irregularitas cum infamia, ex qua haeretici, eorumque liberi usque ad secundam generationem in linea paterna, & usque ad primam inclusive ex linea materna inhabiles reduntur ad sacros ordines, & beneficia Ecclesiastica, ac si quae antea obtinuissent, amittunt *capp. 2. 12. 15. h. t. in 6.* II. Haeretici, eorumque fautores, & receptores sunt intestabiles active & passive *cap. 5. & 13. eod.* Quod iam pridem quoque Imperatores nonnulli zelo Christianae Fidei instructi decreverant, ut Arcadius, Honorius, Valentinus, & Iustinianus in *l. Manichaeos* l. *Arriani l. Quae de Samaritanis C. de Haeret.* ac demum Fridericus Imperator in sua Novella. III. Haereticorum bona post Ecclesiae sententiam, si laici fuerint, per laicum iudicem addicuntur Fisco, si vero Ecclesiastici, applicantur Ecclesiae, cui inserviebant, *capp. 10. 13. h. t. & 19. eod. in 6.* IV. Demum si prorsus pertinaces perseverant, & maxime si postquam semel haeresim ex mandato iudicis abiurarunt denuo in eam relapsi fuerint, Iudici laico traduntur ultimo afficiendi supplicio.

IV. Haeresi, & Haereticis proxime accedunt *Schisma*, & *Schismatici*. Est vero graecis *Schisma*, quod latinis scissura. Eaquepropter qui Ecclesiae unitatem disrumpunt seipsos ab ea, eiusque visibili Capite separantes Schismatici dicuntur. Et quamvis posset revera concipi quod quis ex prava cupiditate Ecclesiae capiti subesse renuat, absque eo quod alicui fidei articulo contradicat, unde purum, non vero haeresi immixtum schisma constaret, attamen ut optime ex Hieronymo dicitur in *can. 26. XXIV. q. 3. Nullum schisma non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*.

V. Variis quoque poenis puniuntur Schismatici, & I. quidem excommunicatione Rom. Pontifici reservata in Bulla Coenae. II Inhabilitate ad beneficia, & Ecclesiasticas dignitates, praesertim Episcopalem, etiam post peractam poenitentiam *arg. cap. 5. de Elect.* III. Bonorum confiscatione, & beneficiorum, ac dignitatum spoliatione *cap. un. de Schismat. in 6.* IV. Ecclesiasticae iurisdictionis privatione, itaut omnes imposterum actus huiusmodi sint irriti *cap. 1. de Schismaticis*.

VI. *Apostasia*, quae latine defectum, seu recessum significat triplex est, a *Fide*, *ab Ordine Sacro*, *& a Religione*. Prima est totalis defectio a fide Christiana quam quis in baptismo professus fuerat, ad infidelitatem, paganismum, vel iudaismum. Horum poenae eaedem sunt, quae haereticorum, sed difficilior remissio propter maiorem criminis atrocitatem.

Apostasia ab Ordine sacro est cum quis sacris Ordinibus initiatus ad statum laicalem, vel etiam coniugii, dimisso clericali habitu sacrilege transit. Poenae in ipsos decretae sunt I. excommunicatio non quidem latae, sed ferendae sententiae, nisi etiam Matrimonium contraxerint *arg. cap. 1. de Apost. & Clem. un. de consang. & affinit.* II. Infamia, & inhabilitas ad dignitates, & honores, irregularitas, & amissio privilegii Canonis *Si quis suadente XVII. q. 4. ex cap. 1. de Apost. & 23. & 25. de sent. excom.* aliaeque Episcopi arbitrio ipsis infligendae ut habitum reassumant.

Apostasia denique a religione, seu statu religioso, est discessus a religione animo non amplius redeundi ad illam.

lam. Nam absque perverso huiusmodi animo non apostata, sed fugitivus quis diceretur. Quamvis autem parum referat ad veram apostasiam an quis retento habitu, vel dimisso discesserit, tamen ex iure Decretalium excommunicationem in Apostatas latam ipso facto non incurrebat, qui illum retinuerat. Hodie vero par est utrisque haec poena iuxta *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6.*

Huiusmodi ergo Apostatae per Superiores cogendi sunt ad Monasterium redire. Qua de re praeter ea, quae in corpore iuris, & in Decreto Pauli IV. statuta reperiuntur, exstat Decretum Sacrae Congregationis de *Apostatis, & Eiectis sub Vrbano* VIII. anno 1624. editum, ubi in superiores negligentes decernitur poena privationis officiorum, vocis activae, & passivae, ac perpetuae inhabilitatis ipso facto incurrendae.

TITVLVS VI.

De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis.

I. SOrtilegium a forte sic dictum est vera credulitas, aut magica divinatio, qua quis futura, aut occulta praedicere, aut cognoscere vult ex aliquibus signis, quae ad ea cognoscenda nec a natura, nec a Deo fuut instituta. Quia ergo divinatoriae huiusmodi sortes nullam habent connexionem cum rebus futuris ab incerto eventu, liberoque hominum arbitrio pendentibus merito ceu superstitiones reiiciuntur *XXVI. q. 1. cap.* 7. Imo quia neque ex speciali Dei ordinatione ad eum finem adhibentur, ideo sortilegia continere etiam solent expressum, vel tacitum pactum cum Daemone, a quo mediantibus illis signis futurorum, vel occultorum scientia expetitur. Qui vero ipsis utuntur, vel ad eiusmodi scientiam comparandam, vel ad mira quaedam perpetranda proprie *magi* appellantur. & ubi per magiam alicui noceant vel in corpore, vel in bonis dicuntur *malefici*, & maleficium, seu veneficium exercere.

II. Cum tamen varia sint signa, quibus sortilegi utun-

tuntur, ideo plures sunt sortilegii species. Nam quaedam desumuntur ab elementorum observatione, unde nomen quoque sortiunt. Sic *Geomantia* a terra, *Pyromantia* ab igne, *Steromantia* ab aere, & *Hydromantia* ab aqua. Quaedam vero a brutis, ut *Aruspicium* ab animalium extis, *Auspicium* a volatu avium, *Augurium* ab eorum garritu &c. Quaedam etiam ab hominibus, ut *Chyromantia* a manibus, *Pedomantia* a pedibus, *Omen* a voce, *Oniroptica* ab insomniis, *Pythonia* ab hominibus abreptis, & *Necromantia* a cadaveribus, ut aiunt, assumptis, & quaedam denique a cursu Syderum, ut *Astrologia* iudiciaria. De his sortilegii speciebus mentio occurrit tum in S. Canonibus, tum in legibus Principum *C. de Maleficis, & Mathematicis*.

III. Poenae in huiusmodi Sortilegos decretae sunt pro varia ipsorum conditione verbera, cruciatus, carceres, & etiam excommunicatio, infamia, beneficiorum amissio, si fuerint Clerici, depositio &c. ut videre est *XXVI. q. 5. can. 4. & 10. & ib. q. 7. can. 15.* Quinimo si abusus quoque Sacramentorum, vel rerum sacrarum intervenerit, Haereticorum poenae erunt adhibendae. Hac tamen in re adhaerendum praesertim Constitutionibus posteriorum Pontificum Innocentii VIII. *Summis*, Leonis X. *Honestis*, Gregorii XV. *Omnipotentis*, & Sixti V. *Coeli, & Terrae*.

IV. *Maledici* hic potissimum sunt blasphemi. Blasphemia vero irrogatur vel *facto*, vel *dicto*. Facto quidem si sacrae imagines, templa, aliaque loca Deo dicata in contemtum foedentur, polluantur &c. vel si debitus uni Deo latriae cultus impendatur sanctis, vel si hisce duliae, aut Deiparae hyperduliae veneratio denegetur. Dicto autem cum in Deum, vel Sanctos maledictio, seu contumeliosa locutio profertur. Huiusmodi blasphemiarum aliae *haereticales* sunt, aliae *simplices*. Illae fidei veritatem evertunt, aut articulo cuipiam opponuntur, quia Deo, Sanctisque quod non debetur adscribunt, vel quod est proprium, denegant. Qui earumdem est reus tanquam haereticus plecti debet, nisi illius poenitentia poenam temperandam obtinuerit. Simplices vero nihil a religione absonum pronuntiant, sed tantum mali aliquid Deo, San-

ctis-

ctisque imprecantur. Huius generis blasphemiae convictus, si laicus fuerit, in conspectu publico constituitur ante Ecclesiae fores continuis septem Dominicis diebus, & earum postrema sine pallio, ac sine calceamentis corrigià collum divinctus dum Missarum solemnia peraguntur, necnon septem praecedentibus sextis feriis pane, & aqua ieiunare iubetur, duos, tres, vel unum saltem ex pauperibus alere, cui si facultas non suppetat, poenam corporalem subire, cogendus etiam vel per iudicem laicum, si dives sit, solidos quadraginta, vel aliquid aliud iuxta ipsius conditionem persolvere. Clerico tamen ad vitandam ordinis contumeliam publica poenitentia non imponitur *can. ex poenitentibus dist.* 50. sed in eum animadvertitur per suspensionem, & depositionem etiam ab officio, & statu clericali *XXII. q.* 1. *can.* 10. & *cap.* 1. *de Maledicis*, vel per alias graviores quoque iuxta Constitutiones Leonis X. *Supremae dispositionis*, & Pii V. *Ad primam*.

V. Adversus Blasphemos haereticales Iudex Ecclesiasticus de iure procedit; & alicubi ex consuetudine quoque laicus; adversus alios uterque; & licet detur locus praeventioni pro alterutro foro; tamen si unus processerit non impedit quin procedat & alter etiam usque ad ultimum supplicium iuxta Levit. praeceptum 24. *qui blasphemaverit nomen Domini morte morietur ex Novell.* 77. *Iustin. Imper. & arg. cap.* 2. *de. Maledicis*.

VI. *Sacrilegium* in genere est rei Sacrae Violatio, quae duplici modo committitur, nimirum *ratione rerum*, vel *personarum*. Rerum quidem, auferendo Sacrum de Sacro vel non Sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro, ut habetur *XVII. q.* 4. *can.* 21. Ratione vero Personarum propter Clericorum percussionem *can.* 29. *ib.* vel carnalem cognitionem Personae Deo dicatae *XXVII. q.* 1. *can.* 11. Sacrilegia primi generis asperius, vel levius puniuntur pro criminis qualitate; secundi vero generis praeter clerici percussionem, aut clausurae Monialium ad malum finem violationem, cetera summo Pontifici non reservantur.

TI-

TITVLVS VI.

De Furtis, Rapinis, & Incendio.

I. FVrtum est ablatio alienae rei, & possessio invito rationabiliter domino. Ex hac definitione patet Furti nomen magis late sumi iure Canonico, quam Civili, ubi *L. 1. §. 3. ff. de Furt.* describitur, ut sit *fraudolosa rei contrectatio, lucri faciendi causa vel ipsius rei, vel etiam usus eius, aut possessionis.* Quamobrem, ut videtis plura a ratione furti proprie dicti excludit Ius Caesareum, quae ius nostrum comprehendit, cum aeque in omnibus peccatum potissimum inspiciat ex quo obligatio oritur ad restitutionem, ut ius laesum resarciatur *cap. 1. & seqq. de Furt.*

II. Ad rem nostram igitur: Furti reus non solum est, qui rem abstulit alienam, sed etiam qui sublatam scienter suscepit *L. eos qui C. de Furtis*, & etiam qui conscius Furti illud quaerenti domino caelat *cap. 4. eod.* Quod tamen intelligatis velim, si furtum occultaverit, non vero si tantum indicare omiserit; quia ut dicitur *L. 48. ff. eod. multum interest furtum quis caelet, an non indicet, qui novit, furti non tenetur, qui caelat hoc ipso tenetur.*

III. Furtum ex variis circumstantiis diversas induit species, secundum quas gravius, vel levius redditur. Sic ratione *temporis* quo comittitur gravius, & gravioribus poenis dignum reputatur, unde fures nocturnos leges magis insectantur, quam diurnos *l. 4. ff. ad L. Aquiliam.* Ratione *modi*, quo fit, ut si addatur violentia conatus &c. puta perfossionem muri, effractionem scrinii &c. vel si repetitis vicibus perpetretur &c. Nam violentum, aut in notabili quantitate saepius repetitum poena etiam capitali plecti potest. Ratione *loci* ubi committitur an in propria domo, an in aliena, & multomagis an in loco publico, ut in Balneis, an in loco Sacro, quia illud speciali poena punitur iure civili, & hoc naturam induit sacrilegii. Demum ratione *rei* ablatae potest esse *Pla-*

gium,

gium, *Abigeatum*, *Peculatum*, *de Residuis*, *expilatae haereditatis*, *violati Sepulchri*, *& termini moti*. Adversus quas Furtorum species diversas diversae dantur actiones ex utroque iure, & diversae decernuntur poenae quemadmodum pro maiori vel minori deformitate, & recessu ab lege aeterna gravitas reputatur peccati, quod ex furto proficiscitur.

IV. De iure ergo Canonico, imo etiam divino tenentur plures quicumque ad restitutionem rerum furto ablatarum iuxta *reg.* 4. *iuris in 6.* Ita tamen, ut ante Iudicis sententiam plus restituere non teneantur, quam abstulerunt; bene vero post illam, cum debeant iustae iudicis sententiae parere. Ut ea restitutio fiat, potest Episcopus iusta de causa excommunicationem ferre in furem & in furti conscios ut rem furtivam revelent ex *Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 3.

V. Ex eodem Canonico iure fur quilibet notorius sive laicus, sive clericus infamis est, adeoque irregularis, & inhabilis, ut ad Sacros Ordines promoveatur, ministretve in susceptis. *cap. fin. de furt.* Quinimo olim Clericus de notabili, atque iterato furto convictus depositione ab officio, & ordine clericali puniendus erat *C.* 2. *dist.* 81. *& cap.* 10. *de Iudic.* hodie tamen ex declaratione S. Congregationis 1650. pro quolibet quantumvis etiam gravi id fieri prohibetur teste Fagnano in *cap.* 10. *cit.* nisi clericus contemptis omnibus censuris prorsus incorrigibilis evadat ex *eod. cap.* 10.

VI. Furibus accenseri debent *Raptores*, & *Incendiarii* Raptores dicuntur qui rem ab altero possessam per violentiam, seu apertam vim invadunt, & auferunt. Haec autem aliquando fit ex confidentia iuris sui; aliquando a sceleratis hominibus lucri causa. Prioris poena de iure civili est ut invasor rem ablatam restituat, & ubi dominus rei non fuerit persolvat insuper illius valorem; ubi vero dominus, dominium amittat *L.* 7. *C. unde vi*. Quemadmodum si creditor debitum a debitore violenter extorserit, ius crediti amittit, & actione criminali intentata tertia parte bonorum multetur cum infamia *L. ult. ff. ad Legem Iuliam de vi privata*. Alterius vero rapinae genus punitur vel civiliter per restitutionem rei ablatae cum

re-

refusione lucri cessantis, & damni emergentis, ac insuper per triplum poenae actori applicandae; vel criminaliter per applicationem poenalis mulctae fisco, aut per corporalem poenam a raptore luendam; qui si cum armis rapinam fecerit poena etiam capitali plectitur *L. penult. ff. ad L. Iuliam eodem;* si absque armis tertia parte bonorum dignitatisque & honoris privatione cum infamia, *Instit. lib. IV. tit. de Public. Ind. §. 8.* & *L. 1. ff. de vi privata.* Ex iure autem Canonico raptoribus excommunicatio inferenda est ab Episcopo loci ubi rapina committitur, a quo tantum absolvi potest, etsi fuerit alterius Dioecesis *cap. 1. de rapt.*

VII. Incendiarii, proprie dicuntur, qui civitatem, oppidum, pagum, praedium, aedes, vel alia aliena bona, ut segetes, fructus, ligna, &c. dolo malo ex odio, vel vindicta, vel alicuius lucri, aut commodi consequendi gratia supposito igne incendunt, vel ad hoc scienter praestant consilium, aut auxilium. Contra huiusmodi incendiarios, eorumque fautores iure civili poena decernebatur, ut nobiles capite, aut deportatione plecterentur; vulgares vero, aut bestiis obiicerentur, aut comburentur vivi, *L. fin. ff. de Incend. & L. Siquis 10. ff. ad Legem Corneliam de Sicar.* Iure autem Canonico excommunicati ipso facto intelliguntur si Ecclesias incenderint, *cap. in litteris de rapt.* si tamen Ecclesiae minime nocuerint, excommunicandi sunt, arcendique ab Ecclesiastica sepultura, nec absolvendi nisi damna vel repararint, vel iurantes se reparaturos etiam per suos haeredes promiserint *XXVII. q. 8. & 32.*

Quinimo licet de iure Civili haeres ex delicto defuncti conveniri nequeat, nisi ex eo factus locupletior probetur, vel lis cum defuncto contestata fuerit *L. unic. C. Ex delictis defunctorum;* nihilominus iure nostro ad exonerandam defuncti conscientiam, qui de iure naturali ad illati damni compensationem tenebatur, etiam ipse haeres pro viribus haereditariis satisfacere tenetur *cap. 5. de raptor.*

VIII. Pro absolutione obtinenda si incendiarius per Ecclesiae sententiam pervulgatus, damnatusque fuerit ad Apostolicam sedem mittendus est, ut statuitur *cap. 19. de sen-*

sentent. Excom. quamvis alias ab Episcopo absolvi possit, ut notat Hostiensis in Summa ad *Titulum de Raptor. & Incendiariis*.

TITVLVS VII.

De Vsuris.

I. VSura a Canonibus rapina dicta, & rapinâ ipsâ etiam atrocior existimata *can. si quis usuram* 10. *XIV. q.* 4. definitur passim ab Theologis, & Canonistis, *Actio, per quam aliquod pretio aestimabile supra sortem inintenditur, vel accipitur ex mutuo, tanquam debitum ex pacto, & iustitia.*

Ex qua definitione liquet usuram nedum re ipsâ susceptâ vel conventâ posse committi, verum etiam mente, & intentione dumtaxat. Liquet praeterea id, quod sorti ex vi mutui accedat, ut usurarium sit, debere omnino tanquam ex pacto vel iustitia accedere; nam si ex gratitudine, vel liberalitate tantum, nec ullo modo a mutuante intentum accesserit, usura indiscriminatim non est; quod tamen diligenter advertendum ne palliata usura committatur.

II. Principaliores usurae species tres numerantur a Canonistis; *lucratoria* scilicet, seu *quaestuosa*, quae proprie *faeneratitia* nominatur, *compensatoria*, & *punitoria*. De duabus hisce non est cur multa dixerim; nam optimo iure exigi possunt, vel quoties damnum, quod creditor ex mutuo passus, est compensatur; vel quoties mora debitoris mutuum non reddentis punitur. De sola ergo faeneratitiâ praesertim iura loquuntur; & haec est vel *realis* si ex pacto explicito, aut implicito procedat; vel est tantum *mentalis*, si eo fine, & intentione pecunia mutuo datur, ut aliquid supra sortem exigatur, secus non daretur.

III. Istiusmodi usurarum genus utpote iniquum, & proximi charitati oppositum nedum divino utriusque federis iure, & positivo Ecclesiastico prohibetur, sed civili quoque & gentium quam plurium moribus criminosum reputatur. Quapro-

propter impotens hominum aviditas licet ab aperta, & conventionali usura ut plurimum abstineat; veruntamen persaepe eandem sub praetextu aliquo, plerumque liciti contractus, veluti pallio contectam admittit: sic praetextu *iustae compensationis* usuram exigit qui carius vendit ob dilatam solutionem, aut e contra vilius emit ob anticipatam; quod sane licitum esse poterit, si carius revera venditurus esset, vel vilius emturus tempore exigendae, aut persolvendae solutionis. Secus quippe aliud non esset, quam emptori mutuo dare pecuniam post aliquod tempus cum augumento recipiendam quod reprobatur *cap.* 6. & 10. *h. t.* aut vice versa in altero casu ex *cap. fin eod.*

Praetextu quoque liciti contractus palliata usura committitur ab eo qui vendenti sibi rem valoris 100. dat. 60. & pro reliquo adsignat debitum inexigibile. Vel praetextu pietatis pauperes v. g. alendi, subveniendi Pupillis &c. aliquid supra sortem ex mutuo exigit. Qua de causa tanquam usurarios damnarunt Montes Pietatis Caietanus, & Sotus *lib. 6. de Iustit. & Iur. q. 1. art. 6.* licet eos probarint melioris notae Theologi, & Canonistae, quorum sententiam confirmarunt postea Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Iulius II. & demum Leo X. in sua Constit. *Inter multiplices* in Concilio Later. lata.

III. Plures alii etiam sunt tituli sub quibus palliata usura committitur quamvis eorum ratione interdum liceat aliquid ex mutuo exigere, & principaliores sunt *lucrum cessans*, *damnum emergens*, *assecuratio*, *contractus societatis*, *census*, & *cambii*. Quoties enim non extiterit unde lucrum ex pecunia mutuo data revera speretur, aut timeatur damnum, vel periculum illam amittendi; quemadmodum ubi par non fuerit omnium societatis membrorum sors, & eventus, aut conditiones a Pio V. in Bulla *Cum onus Apostolicae contractui censuali defuerint*, ac demum fictitiae intervenerint cambiales litterae; huiusmodi contractus haberi non debent, nisi ceu tituli sine re ad occultandam usurae deformitatem adinventi.

IV. Vsurae, & usurariorum paenae praeter obligationem restitutionis iure divino ex iustitia debitae, ad

quam

quam ipsorum etiam haeredes tenentur *cap. tua nos h. t.* plures utroque iure sancitae sunt, quarum pleraeque notorios tantum usurarios perstringunt. Notorius usurarius est qui vel facto palam exercet usuras; vel qui iure convictus, aut confessus, & per iudicis sententiam condemnatus. Sunt itaque I. infames *III. q. 7. C. infames, & cap. 13. de Excess. Praelat.* II. Altaris Communione privantur nec eorum oblationes recipi possunt *cap. 3. h. t.* Et ex *cap. 2. eod. in 6.* intestabiles evadunt, nec ante plenam satisfactionem, aut saltem idoneam cautionem finali absolutione, Ecclesiasticave sepultura donantur. Demum si laici fuerint usque dum satisfecerint excommunicationi obnoxii fiunt *cap. 7. h. t.* si clerici, & moniti non destiterint, ab officio & beneficio in perpetuum expelluntur, *dist. 46. can. 5. & cap. 11. de Excess. Praelat.*

V. Vsura est crimen mixti fori, itaut tam laicus, quam Ecclesiasticus Iudex de eo cognoscere, & iudicare valeat ex *cap. 12. h. t.* Et sane de facto non est quaestio; de iure licet nonnulli dubitent, tamen cum aequitas contractuum, & commerciorum non minus pertineat ad inspectionem iudicis laici, quam Ecclesiastici, nonnullis videtur aeque posse Iudicem laicum iudicare de iniustitia eiusmodi actuum, ac Ecclesiasticum de peccato eorumdem.

TITVLVS VIII.

De Adulterio, aliisque Coniunctionibus illicitis.

I. ADulterium est vel proprii, vel alieni coniugalis Thori violatio, *XXXVI. q. 1. cap. 2.* Hinc triplex Adulterii genus Coniugati nimirum cum Coniugata, Coniugatae cum Libero, & Coniugati cum Libera. Quia tamen ius civile in adulterio praesertim respicit prolis incertitudinem, ideo aliud non cognoscit adulterium proprie dictum praeter illud quod cum coniugata perpetratur. Cum vero e contra ius nostrum aeque principaliter attendat etiam coniugalis fidei violationem, adulterium

quoque reputat, & ceu tale punit coniugati cum libera commixtionem.

II. Ex Adulterio agi potest vel civiliter, vel criminaliter. Civiliter agit coniux innocens contra adulterum in divortium perpetuum, ut iam diximus ubi *de Divortiis*. Et in iudicio civili adulterae poena est dotis amissio, adulteri vero donationis propter nuptias. Civilis item obligatio in conscientiae foro incumbit adultero, vel adulterae quoties concepit ex adulterio *cap.* 10. *de probat. &* *L.* 6. *ff. de his qui sui, vel alieni iuris*.

III. Criminaliter agitur ex adulterio ad poenam, & vindictam publicam, quae ultimi etiam supplicii decreta fuerat a Constantino in *L.* 30. *C. ad L. Iuliam de Adult.* Hanc tamen mitigavit postea Iustinianus iubens ut fustigatione castigata mulier adultera in Monasterium detruderetur, reddenda quidem viro, si intra biennium eam expostulasset; secus vero toto vitae suae tempore ibi mansura ad agendam poenitentiam *Auth. si hod. C. eod.* quod confirmavit ius nostrum *cap.* 19. *h. t.* Adulteri autem usu passim recepto extraordinaria etiam poena modo mulctantur, exilii, deportationis, fustigationis &c.

IV. Iure Canonico ordinaria Adulterorum poena, si laici fuerint, est excommunicatio non latae, sed ferendae sententiae *cap.* 6. *h. t.* si Clerici, depositio ab officio, et beneficio, ac detrusio in Monasterium ad poenitentiam *c.* 2. *dist.* 81.

V. Adulterii crimen si poenâ sanguinis est puniendum ad solum laicum Iudicem spectat; si actione civili prosequatur, est mixti fori; si denique in divortium dumtaxat, ad solum Iudicem Ecclesiasticum pertinet de eo cognoscere *cap.* 4. *de Divort.*

VI. *Stuprum* proprie acceptum est illicita virginis defloratio ex Grat. in *can.* 2. *XXXVI. q.* 1. Huius criminis reus habetur nedum qui vi, vel blanditiis usus virginem, aut honestam viduam compresserit, sed etiam qui volentem corruperit. Verumenimvero cum feminam honestam esse oporteat, non procacem, abiectique pudoris, si probet corruptor eam alteri sui copiam antea fecisse, aut homines excepisse suspectae familiaritatis, stupri non tenetur, non secus ac qui meretricio cultu ornatam virginem vitiaverit.

VII. Iu-

VII. Iuris civilis dispositione constuprator violentus capite plectitur *L. 1. ff. de Extraord. crimin.* si absque vi, & seductione nobilis id commiserit publicatione dimidii bonorum; humilis vero fustigatione, vel relegatione punitur *Instit. lib. 4. de Publ. Iudic. §. Item lex Iulia.*

VIII. Iure autem Canonum poena stupratoris laici est stupratam dotare, & in uxorem ducere *cap. 1. h. t.* Horum tamen alterutrum praestare satis existimant DD. ad quod si fuerit impotens corpore castigatus, excommunicatuique in Monasterium ad poenitendum detrudatur *arg. cap. 1. & 2. h. t.* Clericus vero praeter dotationem deponendus est ex *can. 3. & 13. dist. 81.* & poenae arbitrariae subiicitur habita ratione delicti, & personarum; imo si violentiam adhibuerit etiam ad carceres perpetuos, qui poenae mortis in laicos statutae aequiparantur, condemnari potest.

IX. Adulterio, & stupro alii accedunt illegitimi concubitus, & primo quidem *fornicatio*, soluti scilicet, cum solutà iampridem defloratà commixtio. Haec quidem ad praecavenda stupra, & adulteria iure civili tolerantur *L. 13. ff. ad L. Iuliam de Adult. & 29. C. eod.* Quia vero etiam simplex fornicatio est lethale peccatum ex Conc. Viennensi in *Clem. Ad nostrum 3. de Haeret.* ideo iure nostro prohibita est *can. nubendi XXVII. q. 1.* & in fornicarios animadvertitur; in Clericos quidem suspensione, & inhabilitate ad maiora, ingressu in Ecclesiam, aliisque arbitrio Iudicis infligendis habita ratione delicti, & scandali *can. hi qui XV. q. 8.*

X. 2. *Concubinatus*, consuetudo nempe carnalis viri cum muliere uxoris loco habitae sine iure coniugii, sive illam domi quis habeat, sive alibi *L. 11. de naturalibus liberis* olim quidem nullis poenis coercebatur in iure civili, semper vero prohibitus sacris Ecclesiae Canonibus, ut patet ex *can. Praeter 5. dist. 34.* & potissimum Trid. *Sess. XXV. cap. 14. de Reform.* ubi pluribus poenis animadvertitur in Clericos Concubinarios; in laicos autem ter admonitos, nec resipiscentes excommunicatione, & poenis etiam corporalibus, quoties in censuris, & crimine per annum integrum perstiterint; decerniturque extra Dioecesim pellendas huiusmodi mulieres si ordinario

videatur, invocato etiam feculari brachio quoties oportuerit.

XI. 3. *Inceſtus* Concubitus nempe conſanguineorum, vel affinium in eo gradu, in quo Matrimonium contrahi prohibetur. Huic autem crimini, ubi publice perpetratur, infamiam irrogat Ius civile, ceteraſque adulterio decretas poenas *L. 1. ff. de his qui not. infam. L. 11. §. 1. & L. 38. ff. ad L. Iuliam de Adult.* Ius vero Canonicum excommunicationem ferendae ſententiae, imo etiam latae ſi ſub figura Matrimonii contigerit, *arg. cap. 4. de Iudic. & Clem. un. de Affinit. & conſanguinit.*

XII. 4. *Raptus* crimen committunt qui mulierem aut violentia, aut ſeductione rapiunt, & abducunt libidinis exercendae cauſa. Raptoribus huius generis iure civili poena capitalis decernitur *L. un. C. de Raptu virginum*, eorumque bona, ſicut & comitum atque auxiliatorum addicuntur raptae in eius dotem, ſi ingenua fuerit, ceſſura; omnis coniugii ſpes inter raptorem, & raptam interdicitur, & raptae parentibus, & conſanguineis permittitur raptorem in raptu deprehenſum interficere. Verum haec duo ſublata ſunt poſtrema poenarum genera per ius noſtrum, quod per Tridentinum *Seſs. XXIV. de Reform. Matr. cap. 6.* indulſit ut rapta loco tuto reddita ſi velit raptori nubat. Hoc tamen coniugio, vel dotis adſignatione per Iudicis ſententiam raptae facienda, raptor, eiuſque ſocii poenas iure Canonico ſtatutas non evitant; cum nihilominus laicis excommunicatio, clericis vero ab gradu, & ordine deiectio decernatur *XXXVI. q. 1. cap. 1. & 2. & cap. 4. de Purgat. Can.*

XIII. *Sacrilegium* in hac materia eſt carnis commixtio cum Moniali. Quamvis enim ſacrilegium committatur nedum ſi perſona violata, ſed etiam ſi violans voto caſtitatis fuerit adſtricta, eaque voti circumſtantia ſit ſpeciem immutans in confeſſione aperienda, in foro tamen externo poenae ab iure determinatae non ſunt, niſi adverſus violationem foeminae Deo conſecratae. Quamobrem in laicos iure noſtro animadvertitur excommunicatione, in Clericos depoſitione, & in Monaſterium detruſione, & in ipſam Monialem arctiori Monaſterii, vel etiam carceris clauſura ad poenitentiam agendam *XXVII. q. 1. capp.*

11.

ar. 28. & 30. De iure autem civili rapiens, & violans Monialem capite plectitur, eiusque bona Monasterio addicuntur *L. un. C. de rapt. virg. & Nov. CXXIV. cap. 43.*

XIV. Denique *Crimen pessimum*, seu coniunctio contra naturam, utpote peccatorum omnium foedissimum iam divino iure *Levit. XX.* morte puniebatur, quemadmodum illud nunc quoque punit Ius Civile *Inst. lib. 4. de publ. Iud. §. Item Lex Iulia;* & ius nostrum excommunicatione, & irregularitate *cap. 4. de excess. Praelat.* Quinimo adversus Clericos huius criminis reos extat constitutio Pii V. *Horrendum illud scelus* edita an. 1568. qua privantur omni privilegio clericali, ac omni dignitate, officio, ac beneficio, atque a gradu deiecti Curiae seculari tradi debent ultimo supplicio afficiendi.

TITVLVS IX.

De Crimine Falsi.

I. Falsum in genere acceptum est veritatis immutatio cum dolo, & iactura. Nisi enim dolo malo pervertatur veritas, & iactura inferatur alteri, proprie non est falsi crimen ex *Novell. LXXIII. ex L. 1. & 22. ff. ad L. Corneliam de falsis, & 2. 6. & 8. C. eod.* Huiusmodi ergo falsum quatuor praesertim modis committi potest, *dicto* nimirum, *scripto*, *facto*, & *usu*.

Dicto quidem quoties mendacium aliquod in alterius damnum vergens scienter pronuntiatur; & hoc locum praecipue habet in Testibus, de quo in *cap. Falsidicus 1. h. t.* Falsus vero testis Ecclesiasticus ab omni officii honore deponitur, & in Monasterium detruditur, & quandiu vixerit laica tantum communione donatur *can. Si Episcopus 7. dist. 50.* vel ad triremes, vel carceres damnantur, qui poenae detrusionis in Monasterium successere. Laicus vero deportatione, & bonorum publicatione, vel poena talionis, triremium, aliarumque Iudicis arbitrio, illius nempe coram quo falsum deposuit *L. I. §. Praeterea & ult. ff.*

 ad

ad L. Corneliam de falsis, *L.* 14. *L. de Test.* & 1. *C. ubi de crimine agi oport.*

Scripto autem quoties Notarius falsas Tabulas, sive Testamenta scribit, signat, recitat, subiicit; vel veras Tabulas in alterius damnum caelat, vel adversario scripturas apud se depositas prodit, aut quovis alio modo adulterat radit &c. *L. I. ff. h. t.* In huiusmodi falsarios praeter infamiam animadvertunt Iudices poena arbitria pro ratione delicti, & personarum usque etiam ad ultimum supplicium: Canones vero excommunicatione reservata, nedum in ipsos osores, sed etiam in scientes, & intra XX. dies non revelantes depravationis Bullarum, aut rescriptorum reos; in clericos demum depositione, & Curiae Seculari traditione puniendos *cap.* 4. & 7. *h. t.* iuxta Bullam *Coenae Domini* §. 6.

Facto Falsarii sunt primo qui falsis ponderibus, & Mensuris utuntur, vel falsas merces distrahunt II. Supponentes alicui falsum partum. III. Dolose moventes agrorum limites, & terminos. IV. Falsam monetam cudentes vel quovis alio modo bonam adulterantes, aut in pondere minuentes. Puniuntur huiusmodi falsarii, iure Civili, bonorum publicatione, exilio, mulcta pecuniaria, aliisque Iudicis arbitrio usque ad ultimum supplicium; iure vero Canonico congruis poenitentiis; ut videre est in Pandectis, & in Codice sub iisdem titulis, aliisque, quemadmodum, & in Decretalibus Greg. *IX. h. t.*

Usu demum falsarii ii sunt qui aliena falsitate utuntur, ut qui testimonium, aut instrumentum &c. falsum in iudicio proferunt, quique falsam monetam dolose colligunt & expendunt &c. qui omnes praeter restitutionem damni & poenas ordinarias criminibus falsi decretas, arbitrariis etiam pro delicti & personarum qualitate subiiciuntur, ut apparet ex l. *I. ff. ad L. Corn. de Falsis*; & 38. *ff. de Poenis.*

TI-

TITVLVS X.

De Homicidio.

I. HOmicidii nomine hic proprie venit iniusta hominis interemtio. Ex qua definitione videtis minime nos loqui de homicidio quod a publica Legislatoris potestate iubetur, vel quod ad propriae vitae defensionem cum moderamine inculpatae tutelae ab privato aliquo perpetratur; quinimo neque loquimur de eo homicidii genere, quod prorsus involuntarium est, quia ab ratione, & voluntate carentibus commissum. Nam contra huiusmodi homicidia cum nulla ex iuribus petatur actio, neque ulla Occisoribus statuitur poena. Et quamvis publica potestate utentes propter homicidium irregularitatem incurrant, ea tamen non provenit ex delicto, sed potius ex laenitatis defectu.

II. Homicidium itaque sic acceptum dividunt Canonistae in *voluntarium* & *casuale*. Illud libere, & determinate intenditur vel in se, vel in causa, & variis modis committitur, unde diversos consequitur malitiae gradus simul & diversa nomina. Dicitur quidem *simplex* si accidat ex rixa temere exorta, vel ex subito irae impetu cum advertentia tamen rationis. *Proditorium* vero, & *insidiosum* si committatur sub colore simulatae amicitiae, vel ex machinatis insidiis. *Sacrilegium* si interficiatur Sacerdos, Religiosus, Clericus, vel etiam persona laica in loco Sacro. *Parricidium* si parentes quis occiderit vel filios, aut etiam alios sanguine coniunctos. *Veneficium* si venenum adhibeatur, quod locum habet nedum respectu porrigentis, vel propinantis venenum, sed etiam respectu vendentis, si hac intentione vendat. *Assassinium* si quis mercede conductus alterum necat. Denique *deliberatum*, seu praemeditatum, si iracundiae calore iam sedato, & praevia animi deliberatione impie patretur; His addi potest *Abortus*, de quo infra.

III. Casuale homicidium dividitur & ipsum in *mere Casuale*, & in Casuale *culpabile*. De primo quod prorsus

inopinato & fortuito, absque ulla culpa, aut dolo contingit, non est quod hic dicamus, cum & ipsum penitus involuntarium censeatur. Alterum ergo licet praeter voluntatem committatur, aliqua tamen culpa intervenit; ut si quis det operam rei illicitae, unde alterius sequatur mors, quamvis ad eam evitandam omnem adhibuerit diligentiam vel è contra dederit quidem operam rei licitae, sed non omni adhibita diligentia, aut sufficienti instructus peritia.

IV. Homicidis comparantur, & pro talibus habentur, quoad incurrendas poenas utroque iure decretas qui lethale vulnus infligunt unde mors sequatur, & qui nobile aliquod Corporis membrum abscindunt *arg. cap. 18. h. t. & L. XII. ff. de L. Aquilia, & Clem. unic. h. t.*

V. Ad poenas ergo Homicidarum quod attinet, illos ius Civile olim ex *L. Cornelia de Sicariis* puniebat deportatione, si nobiles erant; capite, si plebei; modo tamen ex *L. 6. de vi publ. & Instit. lib. 4. Tit. de publ. Iudic. §. Item Lex Cornelia*, indiscriminatim poena mortis manet; quam utique inspectis circumstantiis, & criminis qualitate Iudex quandoque vitat, quandoque etiam exasperat, gladium commutando in rotam, furcam, aut rogum; vel poenam augendo adustione per ferrum Candens, forcipibus, obtruncatione membrorum &c.

Iure autem nostro in laicos excommunicatione ferendae sententiae animadvertitur *XXIV. q. 3. c. 20.* In Clericos depositione ab ordine, & officio, perpetuis Carceribus ac Triremibus *c. 7. dist. 15. cap. 6. h. t. & 6.* de Poenis; quibus consonat *Trid. sess. 14. de refor. cap. 7.* Insuper tum laici, cum clerici homicidae ipso facto irregularitatem incurrunt; itaut quantumvis occultum homicidium fuerit, ordines suscipere vel susceptos exercere etiam post peractam poenitentiam, sine dispensatione summi Pontificis non valeant *cap. 6. & 7. h. t. Clement. unic. eod. & Trid. cit.* Clericus quoque si homicidium iterat, & incorrigibilis evadit excommunicatur, degradatur, & Curiae seculari traditur *cap. 10. de Iudiciis*. Quod si homicidium fuerit qualificatum gravius etiam in foro Ecclesiastico punitur. Nam Clericus parricida v. g. comparatur incorrigibili. Homicidae Proditorii, Assassinii, & Sacrilegi iure asyli privantur, & excommunicationem ipso facto incurrunt, si quem oc-

occiderunt persona fuerit Ecclesiastica *XVII. q. 1. can. si quis suadente*.

Omnes istiusmodi poenas, & irregularitatem praesertim incurrunt nedum homicidae, sed etiam mandantes, consulentes, cooperantes, vel quovis alio modo in alterius mortem confluentes, etiamsi effectus non sequatur *L. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar. can. 8. dist. 50. cap. 1. & 3. h. t. in 6. & 2. de Cler. pugn. in Duello*.

VI. Ad abortum procurantes quod spectat, iure civili mater huius criminis rea, si foetus erat animatus parricidii poena punitur, si vero nondum animatus erat iudicis arbitrio damnatur. Iure autem Canonico quamvis Gregorius XIV. Bullam Sixti V. *Ad effrenatam* ad terminos iuris revocaverit quoad inanimati foetus abortum procurantes vel sterilitatem, substuleritque excommunicationis reservationem; integram tamen illam reliquit quoad reliqua. Quapropter procurantes abortum foetus animati ipso facto incurrunt irregularitatem, inhabilitatem ad Ecclesiastica officia, & beneficia, necnon excommunicationem; quibus quoque poenis ante omnem iudicis sententiam in foro conscientiae tenetur, esto delictum fuerit occultum. Clerici vero deponendi, degradandi, & Curiae seculari ad legitimum supplicium tradendi sunt.

VII. Haec ad voluntarium homicidium pertinent. De casuali iam praemonuimus propter illud *mere casuale* nullam incurri irregularitatem, nullamque poenam, idque confirmamus ex *L. 9. ff. ad L. Aquiliam*, *L. 1. ex S. C. ad L. Corn. de Sicar.* & *capp. 9. 13. 14. 15. 16. 22. & seqq. h. t.* ubi varii huiusmodi casus narrantur. Omnis ergo irregularitas, quae in homicidio casuali incurritur procedit tantum ex qualibet interveniente in eo culpa esto etiam levissima. Quinimo si opus, unde homicidium sequitur fuerit quidem licitum tum ratione sui, tum ratione personae illud exercentis, sed tamen negligentia aliqua in vitando mortis periculo intervenerit, eiusmodi homicida extraordinariis saltem Iuris poenis fit etiam obnoxius *cap. 7. & 8. h. t.* Quemadmodum si omnem quidem adhibuerit diligentiam, sed opus minime licitum erat ei, & ex se capax mortem, aut mutilationem inducendi *cap. 13. 19. & 23. eod.* praesertim si ea ratione fuerit prohibitum.

Quam-

Quamobrem Clericus, vel Monachus chirurgiam exercens summa licet cum peritia, & diligentia, etiam pietatis causa, si sequatur ex ea mors; aut in venatu aliquem citra culpam ullam interimens, aut in vetito sibi ludo &c. irregularitatem contrahit, quam non contrahit Laicus.

VIII. Illud tamen hac in re animadvertendum occurrit, quod ubi quis dubitaverit an propter homicidium, aut mutilationem sit irregularis, debet pro tali se gerere ex *cap. 12. h. t.* ea potissimum de causa, quod in dubiis semitam debeamus tutiorem eligere. Vnde ea Canonistarum regula, quod irregularitas non incurratur nisi in casibus iure expressis locum habet in foro dumtaxat externo, ubi delictum probatum sit oportet; non autem in foro conscientiae, ubi omne peccati periculum vitari debet.

IX. Quamvis ex *cap. 7. Seff. XIV. Trid. cit.* exclusa non sit Pontificia dispensatio super irregularitatem ex homicidio ortam, nihilominus difficillime obtinetur, nec eam possunt ullo modo concedere Episcopi quamvis occultum illud fuerit. Verum si de casuali agatur, vel ad vitae defensionem, aut publica auctoritate perpetrato, nec manifesto aut ad forum contentiosum deducto, tunc poterunt Episcopi ex *eod. Trid. Seff. XXIV. cap. 6. de refor.* ubi ipsis dispensandi facultas conceditur super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, sola excepta, quae ex homicidio voluntario oritur. Vnde etiam colligunt DD. posse Episcopum dispensare super irregularitate proveniente ex mutilatione voluntaria, modo ea occulta sit, & ad forum contentiosum non deducta.

TITVLVS XI.

De iniuriis, & damno dato.

I. I*Niuria* generatim sumta est omne id quod non iure fit *L. 1. ff. h. t.* At vero in specie eiusmodi nomine venit contumelia alteri dolo malo illata, qua eius fama, atque existimatio laeditur. Tribus praesertim modis haec

haec iniuria infertur, *verbo* scilicet, *scripto*, & *facto*, seu *re*. Verbo quidem, ut cum in alium verba contumeliosa proferuntur; scripto autem, ut cum carmen famosum vel Historia, vel libellus scribitur, quo alterius fama proscinditur; facto demum, ut cum violentae manus in aliquem iniiciuntur, vel eius domus violenter aperiatur, vel aliud quid fiat in eius contemptum. Cum vero nedum in seipso quis iniuriam patiatur, sed etiam in personis sibi subiectis, ut in filio familias pater, in uxore maritus, in monacho abbas &c. ideo isti proprio etiam nomine iniuriarum actionem instituere valent *L.* 1. §. 3. *ff. h. t.*

II. Actio iniuriarum duplex est, vel *Civilis*, pro iniuriae scilicet estimatione, quando iniuriam passus petit poenam pecuniariam sibi in compensationem adiudicari; vel *Criminalis*, cum videlicet petit, ut iniurians extraordinaria poena aut in corpore, aut in bonis fisco applicandis puniatur. Alterutro ergo modo liberum erit agere iniurato, quamvis postea non liceat ab una ad aliam transire actionem *L.* 6. *ff. h. t.* Quinimo potest actione civili qui iniurans falsa protulit cogi ad canendam palinodiam; secus tamen qui vera, cum nemo mentiri teneatur alterius famae gratia.

III. Condemnatus ex iniuriarum actione ipso iure est infamis *L.* 1. & 4. *ff. de his qui not. infam.* nisi coram Iudice cum eo qui iniuriam est passus transegerit, aut Iudex in prolatione sententiae famam & honorem ei reservaverit *L.* 6. §. 2. & *L.* 13. §. 7. *ff. cod.* speciali etiam nomine in Libellorum auctores, & promotores poena capitis animadvertitur in *L. unic. cod. de Libellis famos.* & flagellorum, ac etiam excommunicationis *can. si quis inventi V. q.* 1. Quae excommunicatio erit latae sententiae si libellus Ordines Religiosos persequatur ex Bulla Alex. IV. *Ex alto*; non item vero si aliquem tantum ex ipsis ordinibus.

IV. Iniuriarum actio tollitur primo condonatione sive expressa, sive tacita. II. Morte tam iniurantis, quam iniuriati ante litis contestationem, cum ad haeredes non transeat, nisi cum damno dato coniuncta sit. III. praescriptione unius anni, nisi fuerit realis *L.* 5. *c. h. t.* 4. IV. demum retorsione, ut si illatae iniuriae iniuria referatur; qui tamen modus minime Christianae mansuetudini cohaeret. V. Al-

V. Altera huius tituli pars est de *Damno dato*. Cuius nomine hic non venit nisi illud, quod infertur *corruptione*, vel *deterioratione alienae rei absque lucro damnificantis*, ut si quis domum alterius, aut segetes incendat, aut alienum patrimonium quoquo modo diminuat, laedat &c. *L. 3. ff. de damno infecto*; ob istiusmodi damnum ergo de iure datur actio legis Aquiliae ad simplicem compensationem; licet nonnunquam detur etiam in duplum ob virentium v. g. arborum furtivam excisionem *L. 2. §. ult. ff. Arborum furtim caesorum*; vel etiam in quatruplum si per vim fuerit damnum illatum *L. 2. ff. de vi bon. rap.*

VI. Quamvis damnum iniuriosum procedere regulariter debet ex animo nocendi; nihilominus ad hoc ut quis ad damni reparationem teneatur, non semper necessario requiritur prava eiusmodi voluntas, sed satis est quaevis culpa, & aliquando etiam laevissima ex *cap. 1. Si culpa h. t.* ubi definitur per Greg. IX. damna illata vel ex culpa, vel ex negligentia, vel imperitia semper esse resarcienda, quod optime probant sex priora huius Tituli capita ex Exodo desumta. Imo damnificans nedum tenetur ad eiusmodi reparationem, sed praeterea ad lucrum etiam, quod ex damnificatione cessavit *cap. 1. h. t.*

VII. Quia multoties illata damna rapraessaliis compensata fuisse in quibusdam Canonibus, & in iure nostro legimus, ideo de iis nonnulla in huius Tituli calce vobis indicare operae pretium duxi. *Rapraesalia* igitur vox fortasse barbara ita exponitur apud Du Cang. *Quando aliquis oriundus de una terra spolietur, vel damnificetur ab alio oriundo ab alia terra, vel etiam si non debitum solverit ei; tunc enim datur potestas isti spoliato, quod ei satisfaciat contra quemlibet de terra illius, unde est spoliator, vel debitor*. Ex hac notione secutis temporibus usurpari coepit pro *potestate* etiam, *pignorandi contra quemlibet de terra debitoris Creditori data pro iniuriis, & damnis illatis*; & hoc pacto illam accepisse videntur Patres Avenionensis Conc. an. 1279. *can. 2.* ubi statuunt: *Si contingat vel homines, vel res quaslibet, animalia quaevis Ecclesiarum, vel Personarum Ecclesiasticarum . . . . abduci per aliquos, vel per aliquas in praedictam, sive pignorationem, aut repraessaliam &c.* quare ita etiam

DD.

DD. impoſterum, a vetuſtiſſimis Romanorum moribus repraeſſaliarum originem repetentes. Verum male haec duo compenſationum genera confunduntur, cum repraeſſaliae non darentur olim, niſi publica auctoritate, & Principis conſenſu ob denegatam iuſtitiam, & de his intelligi poteſt *can. Dominus noſter XXIII. q.* 2. At vero pignorationes fiebant ob turbatam iurisdictionem, vel poſſeſſionem, idque etiam privato arbitrio; de quibus fit mentio a Bonifacio VIII. in *cap. un. h. t. in* 6. & in *Authent. Sed omnino C. Ne uxor pro marito*, imo clarius in Conſt. Theodorici Langob. Regis apud Caſſiod. *lib. IV. cap.*10. atque etiam in *L. Pignoris cauſa* 10 *C. de Pignor. action.* ubi Gloſſa ſui aevi fortaſſe morem reſpiciens dubitat, an debitor ſoluto debito poſſit mancipium pignori datum propria auctoritate eripere de manu Creditoris, ubi illud reddere his neglexerit.

VIII. Saepe etiam cum repreſſaliis confunduntur litterae, in quibus Princeps, vel Reſpublica ſubditis, vel militibus ſuis iniuſtum damnum paſſis dat poteſtatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum etiam innocentium in compenſationem eiuſmodi damni. Hae tamen quamvis in laudato *cap. un. h. t. in* 6. tanquam iuri naturae, & civili contrariae reprobari videantur, nihilominus quoties adeſt legitima cauſa, quae iuſta ſit ad bellum indicendum, & Principis auctoritas interveniat, exerceanturque cum debita moderatione, & innocentium indemnitate probantur in laud. *can. Dominus noſter XXIII. q.* 2. ex Auguſtino deſumto.

TITVLVS XII.

De Eccleſiaſticis poenis, & Cenſuris.

I. POſtquam de iudiciis criminalibus, & praecipuis criminibus, quae ipſis materiam ſuppeditant, egimus, reliquum eſt, ut de poenis, quibus praeſertim Eccleſiaſticus iudex utitur, dicamus.

II. Quod praecipue hac in re animadvertatis velim illud eſt, quod ex iſtiuſmodi poenis licet aliquae *ſeculares* vi-

videantur, quia directe non spiritus, sed corporis sunt afflictivae, ut omnes *pecuniariae*, *incarcerationes*, *relegationes*, *ad metalla*, & *triremes condemnationes*, *fustigationes* &c. Aliquae vero *spirituales*, quia directe non corpus, sed spiritum tangunt, ut *excommunicatio*, *suspensio*, *irregularitas* &c. Nihilominus omnes Ecclesiasticae revera sunt, nedum quod ab Ecclesiastico Magistratu adhibentur, sed praesertim quoque quod Ecclesiae Canones eas decreverunt ad finem spiritualis medelae, non vero vindictae; Mitiores quidem salutarem correctionem continent; acerbiores autem eò tendunt, ut Rei nocere fidelibus nequeant, salvâ conversionis viâ; & propterea, ut optime notat Abbas Fleury *Inst. 3. par. cap. 18. n. 2.* a sanguine, & a suppliciis capitalibus, quae tempus resipiscendi intercipiunt, omni tempore abhorruit Ecclesia.

III. Et sane poenae pecuniariae usus originem ducit ab antiquissimo Ecclesiae more imponendi poenitentibus in poenam suorum peccatorum Eleemosynarum largitionem; cumque postea circa seculum XII. ut censet Morinus *lib. 1. de Sacram. Poenit. cap. 9. & 10.* forensia iudicia penitus separarentur a poenitentialibus, contigit quoque quod Iudices Ecclesiastici ad publica crimina coercenda poenas pecuniarias adhibuerint. Istiusmodi poenarum frequens occurrit mentio in Decretalibus, ubi tamen monentur Praelati, ne id ad pecuniae quaestum convertant, nec ipsis utantur neglectis Canonicis poenis *cap. 3. h. t.* & Glossa *ib.* Hinc Trident. *Sess. XIII. cap. 1. & Sess. XXV. cap. 2. & 14. de Reform.* decrevit tales pecunias pauperibus, vel aliis piis usibus applicandas, interdicens Praelatis in proprium emolumentum convertere, ut notant DD. ad *cap. 2. de Poenit.*

IV. Mos quoque antiquissimus obtinuit in Ecclesia recludendi Poenitentes in Monasteriis ad poenitentiam agendam. Huius quidem disciplinae vestigia reperiuntur *can. 7. dist. 50. cap. 6. de homic. & 35. de Sent. excom.* sed cum deinde experientia compertum sit delinquentium malitiam inutilem saepe reddere huiusmodi poenam, ideo eius loco successit incarceratio, aut etiam ad metalla, & triremes damnatio. Ad has tamen poenas, ut optime eruitur ex *cap. 3. h. t. in 6.* procedendum non esse docent

Ca-

Canonistae, nisi propter gravissima delicta, quando nempe de iure Civili poena capitalis esset imponenda.

V. Consuevit etiam olim Poenitentibus imponi recessus a Patria, ut vel occasiones peccandi vitarent, vel scandalum populo adimeretur, vel peregrinatio suscepta esset paenitentiae loco. Inde ergo factum videtur, ut in Ecclesiastico foro decernatur aliquando relegatio, de qua S. Gregorius relatus in *c. 1. de Calumniator.* & plures apud Grat. loquuntur Canones, 1. videlicet *III. quaest.* 4. 3. *quaest.* 5. *ead.* & 23. *distin.* 63. Quos tamen intelligendos adserunt DD. non de poena veri, & civilis exilii, sed potius de privatione iurium Civitatis, & Patriae; Quod etiam exilii genus, quoties decernere velit Ecclesiasticus Iudex implorare debet brachium seculare ex *cap.* 2. *de Clerico Excom.* & Trid. *Sess. XXIV. cap.* 8. *de ref.*

VI. Similiter non dubium est quin iam pridem usitatum fuerit, ut Episcopi, & Praelati in suos respective Clericos, & Monachos fustigatione animadverterint, ad exemplum dominorum qui in servos, parentum qui in filios, magistrorum qui in discipulos, ut refert Augustinus in epistola ad Marcell. relatus *Can.* 1. *XXIII. q.* 3. & S. Gregorius ibidem *cap.* 1. *de Calumniat.* unde flagellationes voluntariae ortae videntur, inquit Fleury *loco cit.* ex *cap.* 3. *de Crim. fals.* Monet vero circa hanc paenam Alex. III. in *cap.* 4. *de Rapt.* quod ita moderate adhiberi debeat, ut in vindictam sanguinis non videatur adhibita. Quinimo cum publica flagellatio per manus carnificis minus lenitati Ecclesiastici fori correspondere putaretur, ab huiusmodi animadversionis genere penitus recessit Ecclesia.

VII. Inter poenam demum corporis afflictivas tortura quoque recensetur ad eum finem imposita, ut reus veritatem detegere cogatur; cui licet de iure antiquo Clerici subiici non potuerint *L.* 8. *C. de quaestibus*; hodierna tamen Tribunalium Ecclesiasticorum consuetudine Clerici, & Sacerdotes etiam torquentur, quamvis propter innocentiae praesumtionem fundatam in ordinis, & status dignitate, maiora, quam in laico, criminis indicia requirantur.

VIII. De alterius generis poenis non est nunc cur multa dixerim; De Depositione enim, & Degradatione iam satis Lib. I. locuti sumus; De Excommunicatione vero, cete-
risque

tisque censuris, quemadmodum, & de irregularitate, post generaliores quasdam earum notiones in suis propriis titulis infra dicemus.

IX. Censura itaque, mutuato fortasse nomine a Cessionibus censorum, qui penes Romanos excludendo a censu Senatorum, aut Equitum quos praeteriissent infamia notatos ordine movebant, ut notat Gravina *Instit. Can. de Criminibus*; apud nos generatim sumta definiri solet: *Paena Spiritualis, & Medicinalis privans usu aliquorum spiritualium bonorum per Ecclesiasticam potestatem imposita delinquenti Christiano ad hoc ut corrigatur, & a contumacia desistat.*

X. Quia vero Potestas haec ferendi censuras ex ea oritur ligandi, atque solvendi, quam Christus Dominus suo in terris Vicario concessit, ideo nemo capax est ferendi censuras, qui incapax est clavium potestatis. Quare faemina quolibet etiam decorata privilegio ius illud obtinere nequit, ut patet ex *cap. 10. de Paenitent. & remiss.* Quamobrem *cap. 12. de Maior. & obed.* non de suspensione proprie dicta, sed de prohibitione aliqua intelligunt Canonistae.

XI. Huiusmodi negotium ut clarius percipiatis notetis oportet; duplicem distingui in Ecclesia clavium potestatem; alteram, quae nascitur ex charactere Sacramenti Ordinis, & respicit forum paenitentiale internum; alteram vero, quae dependet ex munere, seu officio, quo quis in Ecclesia est insignitus, & respicit propterea forum iudiciale externum; cum igitur censuras ferendi potestas exerceatur per actum forensis iurisdictionis, nam proferuntur instar cuiusvis iudicialis sententiae; consequatur necesse est neminem ferre posse censuram, nisi qui iurisdictionem habet in foro externo contentioso, nec sufficere quod habeat usum clavium in foro paenitentiali absolvendi, & retinendi peccata.

XII. At quia huiusmodi iurisdictio exterioris fori ex duplici ratione obtineri potest, vel ratione dignitatis, muneris, & officii, quo quis in Ecclesia fungitur, ut dicebamus; vel ex speciali commissione, seu delegatione ab eo facta, qui ratione dignitatis eam habet potestatem; hinc sequitur ius ferendi censuras penes omnes residere, qui

vel

vel ordinariam habent iurisdictionem, vel delegatam.

XIII. Ex allata doctrina sequitur ergo I. potestatem ferendi censuras competere etiam Episcopo confirmato, licet non adhuc consecrato, quia ipsi competunt omnia quae sunt iurisdictionis. II. competere posse etiam simplici Clerico, cum non repugnet iurisdictionem contentiosam in simplici tonsurato residere. III. Cum ea, quae iurisdictionis sunt consuetudine, & praescriptione acquiri possint, eodem modo acquiri poterit potestas ferendi censuras, ut adserunt Canonistae de Plebano, cuius mentio est in *c.* 3. *de Off. Ord.* Demum quia iurisdictio alicuius extra proprium territorium non se extendit, ita neque censura extra proprii territorii fines lata alicuius est ponderis.

XIV. Quamvis in Ecclesia potestas ferendi censuras, ut monueram ex Christi Domini institutione emanarit; Censurae tamen non Divini, sed Ecclesiastici iuris sunt, & ferri possunt vel per modum legis perpetuae & stabilis, vel per specialem sententiam. Unde fit, quod ex iis quaedam latae *ab iure*, quaedam vero latae *ab homine* dicantur. Et differunt praesertim quod illae generales sint, habeantque vim etiam post Legislatoris mortem, vel amotionem; hae vero contra determinatas in individuo personas feruntur propter culpam, quae, moriente legislatore, aut amoto, cessat esse materia censurae.

XV. Pariter censura praesertim quae ab iure, alia est *latae*, alia *ferendae sententiae*. Prior incurritur statim post patratum peccatum etiam absque alia Iudicis sententia. Posterior e contra non incurritur, nisi per declarationem, seu sententiam Iudicis. Vt autem dignoscatur cuiusnam sit speciei censura legi adnexa, attendi praecipue debent verba, & formulae quibus lex est concepta. Quoties enim indicant tempus praeteritum, aut praesens, est latae sententiae; quoties vero futurum, est ferendae.

XVI. Nulla tamen censura innodare hominem potest, nisi aliquo exteriori signo feratur, sive hoc per verba, sive per scriptum fiat; quemadmodum nisi requisitae ab iure observentur solemnitates; inter has vero praecipua recensetur *admonitio*, seu comminatio censurae, si ferendae sententiae fuerit, & praesertim *ab homine* iuxta *cap.* 26. *de Appell.* 9. *eod. in* 6. 24. *de sent. Excom.* & 13.

eod. in 6. Nam de censurâ *ab iure* latâ satis nos scriptum ius admonet. Summus tamen Pontifex non tenetur eiusmodi solemnitates servare; bene vero quae sunt de iure naturali, ut quis possit iuste puniri.

XVII. Praeterea censurae, quae in seipsis inspectae sunt propriora arma, quibus utitur Ecclesia ad compescendos criminosos contumaces *cap. cum dilecto 6. h. t. in 6.* sive considerentur ut poenae, sive, ut spiritualia remedia semper requirunt culpam; imo si sermo sit de censura excommunicationis, & suspensionis, saltem quatenus est poena, nedum culpam requirunt, sed propriam quoque illius, qui iisdem erit censuris puniendus. Quapropter tota excommunicari nequit populorum universitas, cum in ea innocentes quamplurimi inveniri possint. Culpa vero supra quam cadere potest censura debet esse externo actu nota, & manifesta; nam de internis actibus directe non iudicat Ecclesia in foro exteriori, in quo militant censurae.

XVIII. Vt aliquis censurae subiiciatur non sufficit quod sit reatu aliquo irretitus, quod sit Baptizatus, capax delicti, & emendationis, sed praeterea requiritur, ut sit contumax. Quapropter cum ubi est ignorantia, nec sit, nec esse possit contumacia, consequitur ignorantiam excusare a censura. De ignorantia quidem facti clarissimus est textus in *cap. 4. de sent. Excom.* De illa iuris dummodo crassa, & supina non fuerit, docent DD. ex *cap. 2. de Constitutionibus in 6.*

XIX. Ad absolutionem a censuris quod attinet certum est illam non tolli per desitionem tantum contumaciae, & satisfactionem, seu obedientiam, sed requiri praeterea ut superioris accedat solutio. Et quamvis censuris innodatus, si in charitate decesserit, reddatur apud Deum absolutus; Ecclesia tamen nequit pro eo orare, nisi prius ipsum externe absolvat, seu potius apud Deum absolutum declaret; quae declaratio eo in casu fungitur absolutionis vice.

De iure igitur ordinario a censuris latis ab homine solus absolvit, qui eas tulit, vel eius superior in iurisdictione, non vero in dignitate, aut eius successor, vel delegatus. A censuris autem latis a canone, non tamen re-

reservatis, absolvere potest quivis Sacerdos habens potestatem absolvendi a mortalibus in foro conscientiae *cap. Nuper h. t.* secus vero a reservatis; nam in his potestas absolvendi peti debet a reservationis tenore.

Absolvens tamen a censuris persona Ecclesiastica omnino sit oportet, itaut in nullo casu haec potestas possit Laico competere, neque ex speciali delegatione a quovis Ecclesiastico superiore facta, licet non sit necesse, ut a Sacerdote impendatur; nam regulariter eos, contra quos potest quis censuras ferre, potest etiam absolvere, praesertim in mortis articulo, quamvis Sacerdotali charactere careat; quod tamen intelligatis velim, si ipsius spirituali iurisdictioni externae subiiciatur: secus vero nonnisi a Sacerdotibus absolvi possunt, etiam in mortis articulo.

XX. Absolutio a censuris licet absolute dari soleat; attamen nulli dubium esse potest quin sub conditione de praeterito, vel de praesenti dari queat; imo etiam sub conditione de futuro, quemadmodum omnes aliae sententiae, quae in externo foro proferuntur. Quapropter triplici modo potest quis a censura absolvi I. *absolute* per eum, qui iurisdictionem habet absque ulla conditione. II. *ad cautelam*, puta cum rationabiliter dubitatur an quis indigeat absolutione. III. ad *reincidentiam*, idest sub aliqua conditione, puta resarciendi damnum, se praesentandi superiori, &c. qua conditione non adimpleta absolutus reincidit in censuram.

XXI. De forma demum absolvendi a censuris, utique quoad eius substautiam nullum esse ab Ecclesia verbornm tenorem, seu formulam constitutam concors est DD. opinio; verum necesse omnino est, ut signis sensibilibus innotescat absolutionis beneficium concessum esse ab eo, qui a censuris absolvere poterat.

TITVLVS XIII.

De Excommunicatione.

I. MAxima omnium censurarum est Excommunicatio, cuius antiquissima vestigia nedum apud Apostolum I. ad Corinth. & ad Titum 3. nobis occurrunt, sed apud Iudaeos quoque, qui gravissimi criminis reis cum infamiae nota Synagoga, & sacrorum communione interdicebant; imo huic quiddam simillimum consuevisse apud Athenienses, Romanos, & Gallos, testes sunt Plato in *lib. de Leg.* Livius *lib.* 36. & Caesar *de Bell. Gall. lib.* 6. Et sane illius nomine apud nos aliud non venit nisi: *Poena Ecclesiastica, qua homo Christianus a Communione, seu corpore fidelium excluditur, & bonis, quae inter eos communia sunt privatur*; ita sane describitur *cap.* 59. *de sent. Excom. & XI. q.* 3. *can.* 32. Huiusmodi vero Excommunicatio alio nomine *Anathema* dicitur, quoties videlicet infligitur adhibitis quibusdam aliis ceremoniis ad ceterorum terrorem praescriptis, quae videri possunt apud Grat. *ib. Can.* 106 Hinc est quod in *cap.* 10. *de Iudiciis* contumax contra Ecclesiam primum puniri iubetur excommunicatione, crescente deinde contumacia, anathemate.

II. Excommunicatio praeter divisionem cum aliis censuris communem dividitur praesertim in *maiorem*, & *minorem*. Illa quidem simpliciter, & quoad omnia separat a communione fidelium; haec autem secundum aliquid tantum, nempe a Sacramentorum perceptione. Antequam de eiusdem effectibus loquamur notate quoties in iure, decreto, aut sententia, excommunicationis simpliciter fiat mentio, semper de maiori esse sermonem *ex cap.* 59. *de Sent. excomm.* Praeterea hanc poenam ferri non posse in universitatem, collegium &c. sed in singulos tantum, ut supra diximus Tit. antecedenti n. 17. *ex cap.* 5. *eod. in* 6.

III. Maioris ergo excommunicationis effectus generalis est separatio ab fidelium communione, quia autem com-

communio istiusmodi dividi solet a DD. in *mere internam*, mere *externam*, & *mixtam* animadvertatis oportet, de qua hic loquamur. Prima siquidem est, qua fideles per fidem, spem, & charitatem inter se, & cum Christo uniuntur, & qua singuli per interna pia opera non tantum sibi, sed & aliis aliquid a Deo impetrare possunt. Secunda consistit in communione fori iudicialis, & alio quovis externo commercio, colloquio &c. Tertia demum oritur ex externis actibus, qui interiorem, ac spiritualem fructum concernunt quò spectant tum perceptio, tum administratio Sacramentorum, Ecclesiae Suffragia, quae in sacrificio, aliisque publicis officiis ad Deum pro universa Ecclesia funduntur, & satisfactiones Christi, Sanctorumque, quae ex communi Ecclesiae thesauro per indulgentias fidelibus applicantur.

Cum ergo primi generis communio interna omnino sit, non poenâ, sed culpâ tantum amitti potest, & per contritionem recuperari, manente adhuc excommunicatione ut in *cap.* 28. *de Sent. excomm.* Praeterea cum Ecclesia Excommunicatorum quoque saluti studeat, numquam potest rationabiliter velle, ut ipsi priventur fructu orationum, & aliorum bonorum operum, quae alii fideles proprio nomine, & privata intentione ad eorum emendationem dirigunt.

Nonnisi ergo secunda, & tertia communionis specie excommunicati privantur. Hinc tamen speciales huius censurae effectus proveniunt; nam primo ab hac communione seiuncti omnibus Ecclesiae suffragiis, & publicarum orationum fructu destituuntur *arg. cap. Sacris de Sent. excom.* nec absque peccato excommunicati, & Clerici ipsum admittentes, divinis officiis interesse queunt *cap.* 18. *&* 43. *eod.* licet concionem audire, & horas canonicas ex vi ordinis, aut beneficii recitare privatim teneantur. II. Carent usu activo, & passivo Sacramentorum, ita quod nec ea recipere, nec administrare absque lethali culpa valeant, nisi in extrema necessitate, aut in mortis articulo. III. Privantur omni iurisdictione ecclesiastica, omnique forensi communione, & exercitio *cap. decernimus eod. in* 6. IV. Removentur ab omni civili commercio *cap. nuper*, *& cap. Si aliquando de Sent. Excom.* & inhabiles evadunt ad quodli-

libet Ecclesiasticum officium, aut beneficium imposterum obtinendum *cap. 7. de Cleric. excom. ministrante*, & alibi. V. Demum impetrata in eorum favorem rescripta, nisi caussam respiciant excommunicationis, nullius sunt roboris *cap. 26. de rescript. & 1. eod. in 6.*

IV. Istiusmodi maioris excommunicationis effectus obtinent de iure in quovis excommunicato. Verum quia necessitas civilis societatis, & etiam Christianae charitatis expostulant, ut quandoque cum ipsis aliqua habeatur communicatio, & propter censurarum, quae in iure latae sunt, frequentiam plura sequebantur incomoda, Martinus V. animarum tranquillitati consultum volens per suam Bullam in Concilio Constantiensi editam, quam confirmavit postea Leo X. in Later. V. declaravit eosdem praefatos effectus locum quidem habere omnes in excommunicatis vitandis, publice videlicet denuntiatis, aut notoriis Clericorum percussoribus; non vero in toleratis, qui suae iurisdictionis actus valide exercent, nisi contra ipsos tamquam excommunicatos excipiatur iuxta *cap. 24. de Sent. & re iudic.* Quinimo ex laudata Bulla quamvis excommunicati illicite agant, si ultro se ingerant actibus iurisdictionis exercendis, a culpa tamen immunes sunt, quoties agant requisiti a fidelibus, quibus permissum est cum excommunicatis toleratis etiam in spiritualibus communicare.

V. Allata superius ratio, cum militet quoque respectu civilis commercii, aut officiorum charitatis, ideo etiam quoad huiusmodi caput quaedam limitatio intelligi debet. Et revera plures esse possunt rationabiles causae, ob quas licitum est ceteris fidelibus cum excommunicato denuntiato quoque & vitando communicare, de quibus apud Grat. *XI. q. 3. c.* 103. Earumdem praecipuas sub hoc versiculo comprehendunt Canonistae.

Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, necesse.

Primò itaque, quoties utilitas aut spiritualis, aut temporalis tam excommunicati, quam communicantis id exposcat *cap. 34. & 54. de Sent. excom. & 7. de Iudiciis*. II. ob legem Matrimonii, consanguinitatis, affinitatis, & rei familiaris administrationem *XI. q. 3. cap. 53.*

& cap.

& cap. 31. de sent. excomm. III. Propter subiectionem, ut servorum, subditorum, militum &c. cum suis respective Dominis, Superioribus, Ducibus &c. IV. Propter probabilem ignorantiam tum iuris tum facti. Demum propter necessitatem quamcumque notabilem, cui subveniri alio modo haud facile queat, sive illa animae sit, vel corporis, sive ex alia ratione proficiscatur *cap. 32. eod.*

VI. Praeter huiusmodi vero causas cuique nefas omnino erit cum excommunicato communicare, & iuxta veteres Canones apud Grat. *ib. cap. 1. & seqq.* delinquentes eâdem innodabantur censurâ. Verum postea huiusmodi poena restricta tantum fuit ad socios, fautoresve criminis; ceteri extra crimen communicantes minorem tantum excommunicationem contrahunt, & ex plurium sententia, nonnisi veniale peccatum committunt, dummodo huiusmodi cum excommunicato commercium nimis frequens non fuerit, ut contemptum pariat, & ipsum contumaciorem reddat.

VII. Minoris huius excommunicationis effectus praecipuus est privatio susceptionis Sacramentorum. Quapropter administrans, vel celebrans divina mysteria in hoc casu, licet ob irreverentiam culpâ haud vacet, irregularis tamen non evadit, cum Sacramentorum administratio ei directe non interdicatur *cap. fin. de Cler. excomm. Ministr.* Indirecte tamen potest etiam remanere impeditus ad ea beneficia Ecclesiastica obtinenda, quibus adnexus est ordo, ad quem promoveri debet; quapropter licet electio non esset ipso iure nulla, ut in excommunicatione maiori, posset nihilominus annullari.

VIII. Absolvere ab hac censura quoad forum conscientiae potest quilibet adprobatus Confessarius, at quoad forum externum Ordinarius tantum Iudex Ecclesiasticus.

TI-

TITVLVS XIV.

De Ecclesiastico Interdicto.

I. INterdicti nomine hic intelligitur: *Censura Ecclesiastica, qua prohibetur quorumdam Sacramentorum usus, divinorum officiorum omnium celebratio, & ecclesiastica sepultura.*

II. Huiusmodi autem interdictum nedum in Clericos, & in Laicos, verum etiam in privata loca, in urbes, ac regna ferri potest; proindeque triplex passim distinguitur; aliud nempe quod *locale* dicatur si locum; aliud *personale* si personas; aliud denique *mixtum* si utrumque sibi subiiciat. Illud vero inter ipsa discriminis intercedit, quod per primum, nemini fas est in loco huic censurae subiecto sacris interesse, bene vero alibi; per secundum, Personae huiusmodi sacra, & cetera divina officia interdicuntur ubique; per tertium demum, omnibus ibidem commorantibus quoquo modo personis, & illius loci incolis etiam aliò commigrantibus.

III. Interdictum tam locale quam personale, est vel *generale*, vel *particulare*. Locale generale dicitur quoties locus cum suis adiacentibus, & pertinentibus interdicto subiicitur, puta Regnum, Provincia, Dioecesis &c. ut in *capp.* 10. *&* 19. *de sent. Excom. in* 6. Particulare vero quoties locus particularis, puta unica Ecclesia, ut in *eodem cit. cap.* 17.

Personale autem generale dicitur pariter quoties aliqua communitas, capitulum v. g. collegium, monasterium interdicitur, de quo in *cap.* 16. *de sent. Excom. in* 6. Particulare personale, quoties expresso singulorum nomine personae interdicuntur. Hinc quia clerus & populus constituunt diversa corpora, altero interdicto, non comprehenditur uterque; quae ratio militat quoque quoad corpus clerici regularis, non comprehensum in odiosis sub generali cleri notione, quemadmodum non comprehenditur Episcopus, & aliae personae in dignitate Ecclesiastica constitutae ex *eod. cap. &* 4. *ibidem;* idque probat

bat Fagnanus saepe laudatus in *cap.* 3. *de Postulatione Praelatorum*.

IV. Alexandro III. Summo Pontifice antiquiorem esse interdicti poenam inde constat, quod de ipsius usu iam Lotharii, & Ludovici temporibus in Ecclesia testetur Ademarus Monachus, qui Balduino Episcopo Cenomanensi sic scribit: *Saepe idem Balduinus pro nequitia Populi novam observantiam constituit; Ecclesias nimirum, & Monasteria cessare a divino cultu, & Sancto Sacrificio, & Populum quasi Paganum a Divinis cessare.* Eiusdem rei vestigia invenire facile est apud Ioannem Carnotensem *ep.* 50. Quinimo Gregorius Turonen. *lib.* 1. *cap.* 31. quoddam Civitatis Rothomagensis interdictum refert, & alterius etiam meminerunt Annales Franciae ad an. 878. lati ab Ioanne VIII. in Concil. Cabilonen. *cap.* 26. Videte Bosquetum in Notis ad Innoc. III. *lib.* 2. *ep.* 72. Verum quia saepe contingit, ut maior Populi pars plane innocens eàdem interdicti involvatur poenâ, ideo Alexander III. omnium primus, & alii postea nonnulli Romani Pontifices diversa huic censurae adhibuere temperamenta.

Et revera seculo XII. indulsit ipse, ut interdicti tempore parvulis baptisma, & morituris Poenitentia administrarentur *cap.* 11. *de Sponsal.* Huic indulto Innocentius III. addidit, ut praeterea populo Verbum Dei praedicaretur, & non denegaretur parvulis Confirmatio *cap.* 4. *de Sent. excomm.* atque etiam *cap.* 11. *de Poenit. & Remiss.* ut in mortis articulo constitutis administraretur Eucharistia; & decedentibus Clericis, qui interdictum servaverunt sepultura in coemeterio privatim concederetur. Quinimo indulsit quoque, ut in Conventualibus Ecclesiis Clerici bini, & bini Horas Canonicas legerent ianuis clausis tamen, & submissa voce. Tandem ob Crucifixi reverentiam concessit Crucesignatis, & Peregrinis etiam benevalentibus, ut quoties postulaverint ad Poenitentiae Sacramentum admitterentur.

Gregorius IX. postea Interdicti rigorem magis moderatum voluit, cum permisit Ecclesiarum Ministris, ut possent semel in hebdomada, absque campanae sonitu, ianuis clausis, & exclusis omnino interdictis Missarum Solemnia celebrare causa conficiendi Corpus Christi, quod

in mortis articulo poenitentibus denegari non debet *cap.* 57. *de Sent. excomm.* Tandem Bonifacius VIII. ad maiora ex interdicto sequentia indevotionis, & contemptus rerum divinarum mala vitanda permisit, ut omnes etiam sani admitterentur ad poenitentiam, dummodo excommunicati non fuerint, qui nonnisi in vitae discrimine admittendi sunt; aut etiam causam non dederint interdicto, quia & ipsi, nisi satisfecerint, vel sufficientem dederint cautionem de satisfaciendo ab ea prorsus arcentur.

Insuper iussit quoque sub poena amissionis distributionum, ut in Ecclesiis, & Monasteriis Missae consuetae, & divina officia celebrarentur iuxta morem extra interdictum, sed submissa tamen voce, ianuis clausis, & sine campanarum sonitu; indulgens praeterea laudatus Pontifex, ut quater in anno, scilicet in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, & Assumptionis BB. Mariae Virginis sacra omnia publice peragerentur cum consuetis solemnitatibus ianuis apertis, cum sonitu campanarum, excommunicatis quidem exclusis, sed interdictis admissis, dummodo ii, propter quorum excessum fuit interdictum latum, Altari nullatenus appropinquare audeant *cap. Alma Mater fin. de Sent. excom. in 6.* His demum postea Martinus IV. & Eugenius IV. addiderunt solemnitatem Sacri Corporis Christi per totam Octavam.

V. Ex communiori etiam DD. sententia interdicti tempore non creditur prohibitum Matrimonium absque solemnitate celebratum, etiam si interdictum fuerit personale; at Sacramentum Ordinis nullatenus ministrari posse, nisi deficerent ministri.

VI. Interdictum observandi gravis est obligatio; ita ut Clerici personaliter interdicti actus proprii ordinis exercentes irregulares evadant; quemadmodum si ad divina officia interdictos admittere audeant, vel si superiores fuerint patiantur, ut divinis intersint. Laici vero, sive Domini Seculares, qui in terris proprio dominio subiectis non permittunt subditis interdicti custodiam excommunicationem Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt *clem. 2. de sent. Excom.* Eandem censuram incurrunt Regulares, si interdicti observantiam neglexerint *Clem. 1. eod.* Quod etiam extenditur ad Fratres Minores si tempore inter-

terdicti ad divina officia admittant *sorores* quas vocant tertii Ordinis *Clem. ead.* Sacerdos denique celebrans interdicti tempore in casibus non permissis irregularis evadit; licet celebrans etiam scienter in Ecclesia polluta, vel presente Excommunicato vitando, huiusmodi poenam non incurrat, quemadmodum declaravit Bonifacius *VIII. in cap. is qui*, & praesertim §. *Is vero* 18. *eod. in* 6.

VII. Interdictum quamvis ferri possit in totam Civitatem vel dominium ob solius Domini, vel Magistratus contumaciam, & eo non obstante etiam innocentes feriat *cap. si sententia eod. in* 6. & *cap. non est de sponsal.*; nequit tamen id fieri sine speciali summi Pontificis licentia propter Dominum non solventem debita, *ex cap. provide ext. com. eod.*

VIII. Interdicto locali valde affinis est *cessatio a divinis*, quae non est proprie censura, sed suspensio quaedam celebrationis divinorum officiorum propter gravem aliquam iniuriam Ecclesiae illatam, ut iniurantes resipiscant; & differt ab interdicto, tum quia locum tantum afficit, & nullo modo personas, tum quia Clericus celebrans in loco cessationis irregularis non evadit, esto graviter peccet, & excommunicationem in violatores cessationis decretam incurrat *Clem.* 1. *de sent. Excom.* tum demum quia non interdicitur Ecclesiastica sepultura, quamvis sine pompa funebri peragi debeat.

TITVLVS XV.

De Suspensione.

I. Tertia demum Ecclesiastica censura est *suspensio*, per quam nempe Ecclesiae minister impeditur ne Ecclesiasticas, propriasque functiones exerceat, vel potestate aliqua Ecclesiastica utatur. Ex hoc liquet suspensionem pro Censura acceptam differre ab ea, quae per modum poenae frequenter imponi solet vel ab iure, vel ab homine, tam perpetuo, quam ad certum tempus, de qua in *cap. etiam Sacrosanctae Ext. de sent. Excom.* ubi *Io. XXII.* contra

P 6 taxa-

taxationis transgressores suspensionis poenam adhibet. Cum ergo fertur, ut ab contumacia recedatur, habet rationem censurae; cum vero fertur ob excessum commissum, cui nulla adnectitur contumacia, propriè est poena.

II. Verum sive ut censura, sive ut poena afficere nequit suspensio nisi Ecclesiasticas Personas, eas arcendo a divinis, & etiam ab omnibus iurisdictionis actibus iuxta plurium DD. sententiam in *cap. 1. de sent. & reiud. in 6.* si fuerit quoad officium tantum; sed si etiam quoad beneficium, suspensus privabitur quoque fructuum perceptione; nunquam tamen passivo Sacramentorum usu.

III. Quamvis omnes Ecclesiasticae Personae huiusmodi Suspensioni subesse possint. Episcopi nihilominus, aliique superiores Praelati suspensionis, & interdicti censuras nunquam incurrunt in quavis constitutione, vel sententia latas ipso iure incurrendas, nisi de ipsis specialis mentio facta fuerit, ut indulsit Bonifacius VIII. in *cap. quia periculosum 4. de sent. Excom. in 6.*

IV. Demum Suspensio quandoque imponitur ab ingressu Ecclesiae tantum; ideoque qui hac Suspensione est innodatus sive ab iure, sive ab homine, cum divinorum officiorum celebratio videatur consequenter interdicta, efficitur irregularis, si divinis officiis in Ecclesia se ingerat; ac propterea Ecclesiastica sepultura erit privandus, quoties cum eiusmodi suspensione decesserit ex *Bonif. VIII. in cap. is cui eod.*

TITVLVS XVI.

De Irregularitate.

I. QVia in nostris hisce Institutionibus de irregularitate saepe locuti sumus, operae pretium duxi antequam a labore manum amoveremus nonnulla de ipsa quoque vobis indicare.

II. Irregnlaritatis igitur nomen etsi non effectus, incognitum quidem fuit apud antiquos Canones; usurpari tamen coepit pro eo impedimento, quo quis vel nequit

in

in ordine suscepto ministrare, vel ad maiores ordines promoveri, & merito hoc impedimenti genus *irregularitas* dicitur. Ab aevo siquidem Apostolico, & deinde Sanctis Ecclesiae Patribus certa regula constituta fuit de iis, qui ad Sacra Mysteria admittendi erant, atque in iis administraturi, quemadmodum habemus ex Nicaeni I. *can.* 9. & in decreto Gregorii VII. de quo in *can. si qui sunt dist.* 81. & fuse ex *Tolet. IV. relato in can. unum Orarium dist.* 25. & ex Gregorio *M. lib. VII. ep.* 100. ad Syagrium Episc. *can. sicut dist.* 48. Quamobrem initio Clerici omnes passim *Regulares*, seu *Canonici* dicebantur a Canone, seu regula, cui inscripti erant, & secundum quam vivere debebant, ut ex Laodicaeno *can. si qui vero dist.* 32. Qui igitur ob aliquem defectum, vel impedimentum ab Sacro arcebantur ordine, vel in ordine iam suscepto ministrare non poterant, Irregulares merito dici coeperunt, quasi a regula praescripta difformes *can. I. dist.* 47. ubi Clericus usurarius eiicitur a Clero, & alienus fit a *regulis*.

III. Ex hisce omnibus infertur irregularitatem nullo pacto esse censuram, cum non sit vinculum, nec sententia, nec poena medicinalis, sed tantum inhabilitas, & Canonicum impedimentum, & quandoque sine culpa contractum, *can. si quis viduam dist.* 50. & clare patet ex *cap. quaerenti de verb. signific.* ibi enim censura ex naturâ suâ medicina est, non vero irregularitas, cum non semper praesupponat opus peccaminosum, ex quo oritur; imo aliquando meritorium, nec privet Sacramentorum participatione, nec fidelium communione, sed tantum Ordinum Susceptione, & exercitio; unde nascitur quod irregularitas, ut tollatur indigeat *dispensatione*; censura vero *absolutione*.

IV. Praecipua irregularitatis divisio est, ut alia *ex delicto* oriatur, alia *ex defectu*; neutra vero incurritur, nisi in casibus ab iure notatis *arg. cap.* 8. *de sentent. Excom. in 6.*

Quamobrem incurritur I. propter delictum, quoties serio, & scienter reiteretur baptisma tam ex parte dantis, quam recipientis. II. Quoties censura Ecclesiastica violetur per ordinis exercitium; licet non incurratur propter exercitium iurisdictionis. III. Quoties indebite ordines suscipiantur; ut si quis scienter ordinari patiatur ab Episco-

sco-

scopo excommunicato, suspenso, interdicto, Simoniaco, vel Schismatico; vel etiam post prohibitionem, praesertim sub excommunicationis poena ab suo Ordinario factam; furtive ordinari obtineat. IV. Quoties per apostasiam Christiana fides deferatur, aut schisma confletur; quod ad fautores, & receptores ipsorum extenditur. V. Quoties homicidium, aut mutilatio perpetretur. VI. Quoties crimen admittitur, cui ab iure infamia est adnexa, dummodo tamen publicum fuerit, & notorium *cap. fin. de temp. Ordin.*

V. Oritur vero irregularitas ex defectu; primo ex carentia rationis usus; quia iure naturali, & divino ordinis est incapax qui ad illius exercitium est ineptus. Hinc II. irregulares sunt ex defectu Corporis, qui ita sunt corpore vitiati, ut vel absolute ordinem exercere nequeant, vel non sine notabili deformitate *can. illiteratos d.* 39. III. Ex defectu natalium irregulares censentur, qui illegitime sunt nati, nisi per subsequens matrimonium legitimi fiant; quod de spuriis dici nequit. Tollitur vero haec irregularitas quoad Sacros Ordines per ingressum in religionem, quamvis perseveret quoad Praelaturam *cap. 1. de filiis Presb.* IV. Ex defectu libertatis irregulares sunt servi, ut in *tit. de servis non Ordin.* Item coniugati, qui sine uxoris licentia votum castitatis emittentes ad ordines promoveri nequeunt. Demum obligati ad rationes reddendas, qui admitti ad clericatum non debent, nisi post deposita onera, & reddita ratiocinia *cap. 1. de Obligatis ad ratiocinia*. V. ex defectu aetatis dici possunt etiam irregulares qui requisitam ad ordinum susceptionem aetatem nondum attigerunt. VI. Ex defectu lenitatis irregulares sunt qui homicidium, vel mutilationem etiam iustam committunt, mandant, aut eidem quovis modo cooperantur. VII. Demum irregularitas contrahitur ex defectu Sacramenti, seu ex bigamia; quod ut clarius intelligatis animadvertendum vobis est triplicem distingui apud Canonistas bigamiam; *veram* nempe, *interpretativam* & *similitudinariam*. Veram & proprie dictam bigamiam committit qui pluribus successive nupsit uxoribus, & Matrimonium consummavit, ex qua bigamia irregularitatem induci traditur in *cap. 1. & 2. de Big.*

In-

Interpretativa vero dicitur quoties per quandam iuris fictionem, seu interpretationem, quis censetur duas habuisse uxores, ut si contraxerit cum vidua, vel ab alio quoquò modo corrupta *can. Maritum dist.* 33. *& can. si quis viduam dist.* 34. aut etiam si propriam cognoverit uxorem post perpetratum ab ipsa adulterium *can. si cuius*, & *can. si laici dist.* 34. Quia vero irregularitas, quae inde exurgit, non ex delicto oritur, sed ex defectu dumtaxat Sacramenti, incurritur propterea etiam ubi contigerit ut quis ignorans corruptam duxerit, aut uxorem iam adulteratam cognoverit.

Bigamia denique *similitudinaria* provenit ex attentatione & consumatione Matrimonii licet invalidi post votum solemne professionis, aut Sacrorum Ordinum receptionem. Cum enim qui eiusmodi votum emittit, aut ordinibus initiatur spirituale Coniugium cum Deo, & Ecclesia contrahere videatur, si postea ad carnale transire praesumserit similis censetur iterato contrahenti *capp.* 5. *& ult. de Biganis*.

Illud circa huiusmodi irregularitatem observandum est quod nemo bigamus iure dicatur, nisi post consummationem Matrimonii. Hinc vir, cuius uxor obiit post Matrimonium dumtaxat ratum si aliam duxerit bigamus non est *can.* 20. *dist.* 34. *& cap.* 5. *de Big.* hinc etiam viduam virginem ducens, aut corruptam, quam non cognoverit, nec bigamus, nec irregularis efficitur; cuius rationem reddit Innocentius III. In laudato Capite, quod hisce in casibus non desit signaculum, seu significatio Sacramenti, nec vir carnem suam in plures diviserit.

VI. Irregularitatis cuiuslibet effectus est inhabilitas ad Ordines suscipiendos, privatio exercitii ordinis iam suscepti, et ineptitudo ad beneficia, si irregularitas totalis est; quia cum beneficium debeatur propter officium *cap. fin. de rescript. in* 6. & irregularis non sit divini officii capax, ideo nec beneficium obtinere potest *arg. cap. fin. de Clerico excommunicato Ministrante*. Vid. *cap. fin. de Temp. ordin.*


VII. In quavis irregularitate, dummodo absolutam incapacitatem non importet, dispensare potest Rom. Pontifex, cum sit tantum iuris positivi sive ex defectu, sive

ex

ex delicto oriatur. Episcopi quoque in omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepto homicidio voluntario, dispensare possunt. Quare facultas ipsis conceditur dispensandi in ea, quae ex bigamia similitudinaria contrahitur *cap.* 4. *de Clericis coniugatis*, *&* 1. *qui Clerici, vel voventes*; quia, ut animadvertit Fagnanus de Bigamis, haec irregularitas provenit ex delicto potius, quam ex defectu.

Plura de irregularitate, quae concludi nequeunt intra breves harum Institutionum terminos, legite apud Scriptores. Atque hic tandem finem imponimus eisdem, quae ad id praesertim inservire possunt, ut rudis quaedam Canonici iuris, & maxime recentioris notitia habeatur.

FINIS.



IN-

202

